
NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06829420 0



INDIA ORIENTALIS CHRISTIANA



INDIA ORIENTALIS CHRISTIANA

CONTINENS

Fundationes Ecclesiarum, Seriem Episcoporum, Missiones, Schismata, Persecutiones, Reges, Viros illustres.

AUCTORE

P. PAULINO A S. BARTHOLOMAEO

CARMELITA DISCALCEATO

Malabariae Ex-Missionario, Acad. Volscor. Veliternae Socio, in collegio Missionum S. Pancratii linguarum Orientalium Praelectore, Arc. Rom.





ROMAE

TYPIS SALOMONIANIS

ANNO DOM. MDCCXCIV.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO
DOMINO

JOSEPHO ANTONIO
A SANCTO ALBERTO

CARMELITAE DISCALCEATO

ARCHIEP. PLATENSI

F. PAULINUS A S. BARTHOLOMAEO CARMELITA DISCALCEATUS
FELICITATEM.

Non est cur mireris ILLUSTRISSIME ac REVERENDISSIME PRAESUL, quod hanc lucubrationem nomini TUO inscribam. Doctrinae et virtutis TUAE laus, quae magnam Orbis partem pervasit, me tam sin-

gulari laetitia affecit, ut eam hoc publico monumento comprobatam velim. Tu jam ab ineunte adolescentia in inclito Aragoniae regno optimis excultus disciplinis, e saeculo ad monasterium praeclaram indolem, ingenii aciem, ad virtutes et litteras amorem eximium Tecum attulisti. Tu in religiosa domo adhuc pene Tyro, dum sacrae leges Tuum animum excolere praecipiebant, jam tunc fidei, doctrinae, et virtutis decus cum aliis communicare studuisti. Tu absque regularis observantiae jactura semper diligens, labori deditus, comis et mansuetus, dum in domestico Athenaeo Philosophiam, Theologiamque praele-

gis, ac sacras litteras interpretaris, eodem fidei et virtutis ardore concitus, verbum Dei diligenter praedicas, atque praeclaro Tuo doctrinae lumine populos collustras. Neque diu inter privatos parietes latere potuit optima hujus luminis, et nominis Tui fama. Bona Tua fortuna accidit, ut in eo regno nascerere, in quo virtus et eruditio, honoris conjux et gloriae socia, apud Principem gratia valet. Quare, postquam semel iterumque coenobii Rectoris munere praeclare perfunctus es, ipse Rex Catholicus aequi bonique justus judex, praedicationis Tuae celebritate adductus, Te Madritum ad urbem regiam ac-

cersivit. Ibi Tuo Apostolico zelo vastior campus apertus est, nam binis vicibus tanta populi acclamatione, tanta ipsius regiae aulae admiratione et plausu Sacras Missiones obivisti, ut Rex ipse Te primum in ordinis Curatorem generalem, tum iterum in regium verbi Dei Praeconem, ac tandem in Episcopum Tucumanensem cooptaverit. Hac dignitate insignis, immunis evasisti a supremo ordinis officio, ad quod in generali Patrum consessu dimidia votorum parte totius congregationis Moderator Generalis jam jam eligebaris. Hoc quidem officium si mereri, non autem assequi, virtus est, non

est, cur doleam, quod illud assecutus non sis. At summopere mihi placet supremum circa TE miserentis Dei consilium, qui TE in Ecclesiae decus, in Ordinis Carmelitici honorem, ac in ipsam Regis Catholici laudem ad PLATENSIS ARCHIEPISCOPATUS culmen evexit. In eo, veluti speculator domus Israel, Ecclesiam Dei lustras, TIBI subjectos Praesules verbo et exemplo moderaris [1], populos praedicatio-

[1] Archiepiscopo Platensi subest Episcopus *Assumptionis*, II. Boni aeris *Buenos aires*, *o Rio de la Plata*, III. S.Jacobi Esserensis in provincia *Tucumania*, IV. Pacensis, *de la Paz*, V. Barracensis, *de la Barranca* in provincia S.Crucis *de la Sierra*. Vide Jo. Alberti Fabricii, *Salutarem lucem Evangelii*, cap. 49. *De Americae Meridionalis regionibus et Christianitatis statu*, pagina 778.

-ne TUA in officio contine, superbos corripis, in fide vacillantes fulcis, bonos foves. Neque vero his meritis TUAE dignitatis laudes circumscribuntur. Quatuor operum TUORUM voluminibus Romanis typis editis [1], spiritus unctione, et omnis generis eruditione refertis, cujusvis status et conditionis homines etiam a TE longinquos erudis, et Americam, Hispaniam, Italiamque clarissima TUAE doctrinae luce collustras. In his operibus hodie frigida Christianorum corda ad fidem et virtutem accendis, errantes ad justitiae tramitem reducis, nostri aevi incredulorum conscien-

[1] Romae typis Lazzarinis ann. 1792. et 1793.

tiam et animum remordes, Ecclesiae Pastoribus vivendi docendique normam tradis, et, quod rei caput est PIO VI., Indulgentissimo et Optimo Principi in his temporis asperitatibus animi solamen affers. Haec et alia sunt Tui decoris monumenta: et his inductus sum ad hoc meum opusculum nomini Tuo inscribendum, atque Tibi ex animo devovendum. Dum Tu occidentalem Indiam tam praeclare illustras, fortassis nec ingratum, neque injucundum Tibi erit, etiam Indiae Orientalis in fide progressus notare, et quo zelo commilitones Tui in ea vineam Domini excolant, certiorem reddi.

Proficiscere itaque jam bonis avibus mi liber. Oceanum plenus fiducia sulca. In Americam Meridionalem, ad Platensem urbem te confer. Maecenatem ibi nactus es priscae probitatis et sapientiae virum, Assertorem fidei eximium, veritatis et justitiae Cultorem, Evangelici gregis Custodem vigilantissimum, Praesulem doctrina, litteris, virtute praestantissimum. Sub hoc tanto et tali viro tu mi liber tutus conquiesce, meque eidem addictissimum esse, iterum iterumque dicito, et vale.

Dabam Romae v. Iduum Februarii anno MDCCXCIV.

PROLOGUS

Primo aerae christianae saeculo, atque ipso Apostolorum tempore Persidem, Indiamque orientalem Christi Domini fide imbutam fuisse verbis perspicuis docent Ss. Patres testimonio sacrae Scripturae innixi. Act. Apost. cap. 2. v. 9. et 10. *Parthi, et Medi et Elamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Judaeam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphiliam, Aegyptum et partes Libyae, quae est circa Cyrenen, et advenae Romani, Judaei quoque et Proselyti, Cretes et Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei*. Tertullianus (1) in hunc locum ait: *Christi regnum et nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur* (2). Subjungit Jacobus Pamelius Tertulliani interpres in notis pag. 106., *Elamitas*, de quibus in sacro textu sermo est, *Persas* esse, ita dictos ab

(1) Tertullianus *lib. adversus Judaeos*, pag. 98. 99. edit. Colon. 1617.

(2) Vide *catalogum Ecclesiarum, quas fundatas ab Apostolis, ex ipsis scriptis Apostolicis colligitur*, apud Jo. Albertum Fabricium *salutaris lucis Evangelii*, Hamburgi 1731. *cap.* v. *pag.* 83.

Elam filio *Sem*, teste Josepho *Antiq. lib.* 2. *cap.* 7. Lucidior locus est apud Arnobium (1): *Ad unius credulitatis assensum mente una concurrere gentes et populos fecit* (Christus), *et moribus dissimillimas nationes. Enumerari enim possunt, atque in usum computationis venire ea, quae in India gesta sunt, apud Seras, Persas, et Medos: in Arabia, in Aegypto, in Asia, Syria . . . . in insulis et provinciis omnibus, quas Sol oriens atque occidens lustrat.* Quae verba tam lucida et distincta detorqueri non possunt ad *Aethiopes* in genere, cum aperte et perspicue *Persas*, *Indos*, et *Seras* indicent. Clarissime S. Joannes Chrysost. *Hom.* 1. in Joannem T. VIII. pag. 9. *Syri*, *Aegyptii*, *Indi*, *Persae*, *Aethiopes* (καὶ Ἰνδοὶ καὶ Πέρσαι καὶ Αἰθίοπες) *innumeraeque aliae gentes dogmata ab illo* (Christo) *inducta in linguam suam transferentes, barbari licet essent, philosophari didicere.* Ipsorum adeo Christianorum monachorum primis Ecclesiae saeculis in Perside et Orientali India versantium meminit S. Hieronymus (2), et Procopius (3). Quamquam vero haec certa sint et perspicua, atque Christi fidei transmigrationem in Indiam Orientalem luculenter

(1) Lib. 2. *ad Gentes* pag. 50.

(2) Epistola 57. ad *Laetam*.

(3) Procopius lib. IV. *de bello Gothico*, cap. 17. pag. 613. Confer de *Joannis Carpathii* capitibus centum consolationis ad Monachos in India, lib. 5. cap. 38. vol. 9. pag. 446. *biblioth. Graecae* Jo. Alberti Fabricii.

evincant, attamen durus dicendi locus datur, dum quaeritur: quo praecise loco hi monachi consederint; in qua Indiae provincia et urbe Pantaenus, S. Thomas Apostolus, Frumentius, aliique Christi fidem conseruerint; in quo Indiae regno Christiana religio primo sata fuerit. Veris Missionariis, in his Indiae provinciis verbo Dei praedicando acriter et sedulo intentis, non est otium, in christianas harum gentium origines inquirendi; et fatuitas est longe maxima, ab iis Hornii, Vossii, Renaudotii, Jo. Alberti Fabricii, Assemani, Mamachii, aliorumque virorum, qui totam vitam in bibliothecis, et ad Tabularia exegerant, eruditionem postulare. Ipse Fabricius et Renaudotius, dum de Sophronii (1) et Dorothei *Calamina* Indiae, in qua S. Thomam Apostolum obiisse, perhibent, eis disserendum esset, ejus loci disquisitionem evitantes, ad Kircheri etymon et lectionem *Calamilurmina* confugiunt (2). Ita pariter inter se dissentiunt Montefalconius et Assemanus: quorum ille primus Cosmae Aegyptii Monachi Indopleustae (3) *Callianam*

(1) In catalogo Graec. vir. illustrium inter opera S. Hieronymi. Vid. Pamelium *in not. p.* 106. ad Tertuliani *lib. adv. Judaeos*. Fabricium lib. cit. *p.* 109. Dorotheus *in synopsi de* XII. *Apostolis*, ap. Raulin *p.* 339.

(2) Fabricius *lib. cit. pag.* 110. Renaudot, *Anciennes relations des Indes*, a Paris 1718. *pag.* 231.

(3) Topographiae Christianae *l.* 3. *pag.* 178. apud Fabricium *cap.* 47. *pag.* 767.

Indiae, in qua multos Christianos et Episcopum olim exstitisse narrat, Malabariae urbem *Calicut* esse arbitratur (1). Assemanus e contra Cosmae *Callianam* urbem *Collon* seu *Collam*, et *Male*, urbem *Mailapuri* esse existimat apud Raulin (2), qui totam Malabariae geographiam intricat, et pervertit. Hos scopulos ut e medio tollerem, historiae Indicae Christianae *dissertationem de prisca India* praemisi, in qua primae Indicae Christianitatis loca certa et vestigia in urbe *Cashgar* in Tibeti regno sita (3), atque in littore Malabarico in urbe *Calianapuri* distincte definivi et indicavi (4). Profecto multi erant saeculo primo, quo S. Thomas Apost. Indiam petiit, littoris Malabarici notissimi portus et emporia, per quae ad illud littus Christi fides inferri potuit et debuit. Horum primus erat *Barygaza*, hodie *Baroche*, in sinu *Cambayae* si-

(1) *In praef. pag.* 9. ad Cosmae Topographiam *in collectione nova Patrum et scriptorum graecorum* t. 2. Parisiis 1706.

(2) Raulin, *Historia Ecclesiae Malabaricae cum Diamperitana* (legendum est *Odiamperitana* ab urbe *Odiampera* vel *Udiampera*) *synodo*, Romae 1745. *Dissert.* II. *de Apostolatu S. Thomae*, pag. 362. et seq.

(3) *Of Tibet are the territories of Cashgar, Khoten, Chegil and Khátá* (quae veteribus est *Cattai* vel *Cattaja*). Asiatick Researches or Transactions of the Society instituted in Bengal. vol. 2. *Calcutta* 1790. pag. 21. 26. *The Fifth discours on the Tartars*. Renaudot, *Anciennes relations des Indes*, et apud eum *Abulfeda* pag. 276. 277. Vide infra in opere *pag.* 4. *et* 5. Conf. *Mosis Chorenensis* hist. Arm. et geograph. *pag.* 365. 366. Londini 1736.

(4) Infra *pag.* 14. 15. 16.

tus, de quo multa refert *Arrianus*, seu auctor *Peripli maris Erythraei* (1). Alterum in ora Malabaridis notum, et Aegyptiacis, Graecis et Romanis navibus frequentatum emporium erat *Muziris*, quod Plinius (2) et Solinus (3) *non expetendum esse* ait, *propter vicinos piratas*, a quibus ne Romana navigia vexarentur, *cohortibus impositis* navigatum est, ut idem tradit Plinius. Simile huic Malabaridis emporio fuit Μάλιαρφα *Maliarpha* seu *Maliapur* in littore Coromandelico, ad quod S. Thomam Apostolum appulisse, infra pag. 125. de Ecclesia Maliapurensi seu S. Thomae agendo, innumeris argu-

(1) *Geographiae veteris scriptores*, vol. I. Oxoniae 1698. pag. 6. et seq. *In hoc emporium* (Barygazam) *ex Aegypto* (et Perside) *navigatur mense Julio*. Et paullo supra: *Exportatur* (ex Barygaza) *costus*, *bdellium*, *ebur*, *onychini lapides*, *sericum*, *molochinum*, *filum*, *piper longum &c.* Vide Cellarii, *Notitias orbis antiqui*, Lipsiae 1772. *lib.* 3. *cap.* 23. *pag.* 743. 743. *et seq.* D'Anville, *Géographie ancienne*, à Paris 1758. tom. 2. pag. 353. *Barigaza est fort connue pour être Barobia* (Baroche) *ou Berug comme disent les Persans.*

(2) Plinius *hist. nat. lib.6.cap.23.* S. Epiphanius, *tom.*II. haeresi 66. *pag.* 618.

(3) Julii Solini *Indicum itinerarium*, cap.67. *pag.*326. 328. Confer Frid. Sam. de Schmidt opuscula *de navigatione Aegyptiacâ*, Carolsruhae 1765. *dissert.* 4. pag.175. *Huc* (in Malabariam) *eos* (Aegyptios) *invitabant Indi*, *qui merces ex regionibus longius dissitis ad propiores istas oras contulere*, *ubi Aegyptii eas annuatim conquisitas*, *Alexandriam secure deportabant.* Vide etiam *Histoire du commerce et de la navigation des Anciens*, a Paris 1656. chap. IX. X. *Muziris* Renellio Anglo *Mérzavv* vel *Merjee*, et *Barace* seu *Barcelor* in ora Malabarica inter urbem *Goam* et *Talliceri* sita. Vide *Giornale de' Letterati*, Pisa 1792. *tom.* 88. *pag.*241. *et seq.*

mentis demonstrabimus. Itaque in *Cashgar*, in *Calianapuri*, et in *Maliapur* Christianae religionis principia et incunabula constituimus (1).

Hac aetate, id est, saeculo 1. tres celebres in India imperabant reges, *Celebothras*, *Porus*, *Salivagan*. De primo fert testimonium Plinius *hist. nat.* lib.6.c.23. *Regnabat ibi* (in India), *cum proderem haec, Celebothras*. Hunc Arrianus in Periplo maris Erythraei *Ceprobotum* vocat; in cujus imperio et ditione *Muziris*, *Calliena*, *Mandagora*, *Palaepatna*, aliaque maritima emporia littoris Malabarici sita erant. *Ceprobotus* corruptio est vocabuli Malabarici ചെരമൊസ്ഥൻ *Cerambotti* (2), id est, *ditionis gubernator*, *rex*, *servator*. Huic cum teste Arriano urbs Calliena seu *Calliana*, Mandagora seu *Mangalor*, Palaepatna seu *Baliapatna* subjecta fuerit, is regni *Canara*, et partis unius regni *Malabar* rex fuerit, est necesse: hae enim urbes in regno *Canara* sitae sunt (3). Secundus primi saeculi Indiae rex est *Porus*, id est, more Malabarico scriptum പോരു

(1) Videsis infra ad calcem operis mappam geographicam *Malabaridis* et regni *Madure*, atque ei annexam explicationem, in qua haec distincte pertractantur.

(2) Vide librum inscriptum: *Musei Borgiani Velitris codices manuscripti Avenses, Peguani, Siamici, Malabarici, Indostani*, Romae 1792. *p.*43. ubi haec accuratius digessimus.

(3) Confer Bernardi de Montfaucon praefat. *pag.* IX *et* X. ad Cosmae *Topograph. Christ.* tom. II. in *collect. Patrum et scriptorum Graecor.* Parisiis 1706. Vide mappam geogr. Indiae *D. De l'Isle*, Parisiis 1781.

Puru, quod natalitium et proprium nomen est. De hoc rege *Poro* seu *Puru* Strabo lib. 15. ait: *Addit* (Nicolas Damascenus) *Porum esse qui scriberet* (ex India ad Augustum Octavium Imp. Romanum), *et cum sexcentum regibus* (id est tribui regali *Kshetria* dictae) *imperaret*, *Caesaris tamen amicitiam multifacere*. Hunc ipsum Porum, *Pandionem*, id est, regem, qui regno *Pandi* imperabat, fuisse docet *Dodwell* in praefat. ad Arriani Periplum, et *D'Anville* lib. cit. tom. 2. pag. 356. Quod si vero Porus *Pandion*, id est, regni *Pandi* rex fuit, quod etiam asserit Arrianus; *Porus* iste, saeculi 1. Indicus rex, regno *Madure* praefuit: nam regnum *Madure* hodiedum *Pándi* vel *Pándimandalam* vocatur. Atque hujus regis sedem distincte definivit Plinius *hist. nat. lib. 6. cap.* 23. dum ait: *Regnat Pandion longe ab emporio mediterraneo distante oppido quod vocatur Modusa*, id est, *Madura* vel *Madure*, arx et urbs regia regni *Madura*. Hujus etiam meminit Ptolemaeus (1), qui dum *Pandionis* mediterranea describit, addit: Μοθουρα *Modura regia Pandionis*. In qua quidem hic rex una anni,

(1) Πανδίονος *Pandionis regio in sinu Argarico* seu *Argari*, quod corruptum ab *Arampali*; oppidum a quo sinui *Manâr* veteres sinus *Argarici*, vel *Argaròpolitani* nomen dabant. In eo, id est, in ora *Piscaria* regnum *Pandi* seu *Madure* ad orientale latus promontorii *Comorini* desinit. Ptolemaeus *geogr. vet.* lib.7. cap.1. fol.94. et 91. *edit. Argent.*

parte residebat, cum alteram anni partem in urbe *Badagare* exigeret more regum Indiae, qui duo semper domicilia et sedes habent. Tertius saeculi I. Indiae rex erat *Salivagan* seu corrupte *Salbahan*, qui in urbe *Pattan* versabatur, atque anno Christi 78. diem supremum obiit; de quo pluribus infra *pag.* 129. *et seq.* disseremus. Sub his ergo regibus Christi fides in India sata fuit, atque sub rege *Salivagana* seu *Salivahan* S. Thomas Apostolus in India martyrium passus est; quod itidem locupletissimo argumentorum genere infra demonstraturi sumus.

Primus, quantum in tanta rerum asperitate et temporis remoti longinquitate sedula perquisitione assequi licet, in urbe Cashgar Episcopus fuit *Archelaus* (1), vir probus et orthodoxus, qui *Manetem* haereticum ejus Catholicum gregem circa annum 280. sub *Probo* Imperatore dirripere aggredientem confutavit, et in fugam conjecit. Haec et Malabarensis seu Indica dioecesis usque ad sae-

(1) S. Epiphanius *tom.* 2. haeresi 66. *pag.* 280. *et seq. edit. Bas.* Jacobus Pamelius *pag.* 106. in notis ad Tert. *lib. adv. Judaeos*. Vide infra in opere *pag.* 5. *et* 6. De Christianis urbis *Cashgar* et regni *Khàtá* seu *Cattai* confer Renaudot *lib. cit. pag.* 419. Petrum Bergeron, *Traité de Tartares*, chap. 7. *pag.* 37. Antonium Andrada, *Detectio nova magnae Catayae sive regnorum Tibet, et fides christiana de novo illis illata ab anno* 1624.

culum v. et vi. perduraverit est necesse : nam Nestoriani Patriarchae saeculo v. occupata *Seleucensi* orthodoxa sede, dioecesim *Cashgarensem* et *Indicam* inter tredecim suas Nestorianas dioeceses numerant (1), atque ad has ipsas in *Cashgar*, et in *Malabaridem* in urbem *Calianapuri* primum, deinde in oppidum *Angamáli* Nestorianos Praesules jam v. et vi. saeculo mittebant (2). Hujus Missionis meminit Cosmas Indopleustes Topographiae Christianae *lib. 3. pag.* 178. καὶ ἐν τῇ Καλλιάνα δὲ τῇ καλουμένῃ, καὶ Ἐπίσκοπος ἐστιν ἀπὸ Περσίδος χειροτονούμενος. *In Calliana vero (sic nuncupant) Episcopus est, in Perside ordinari solitus*. Haec Cosmas scripsit circa annum Christi 535., *Theodosius* vero Patriarcha Nestorianus, qui successit Patriarchae *Hananjeshu* anno 778. consecrato, in canone synodi tempore suo celebratae ait (3) : *Reliqui Metropolitae Chinae, Indiae, Pales, Mausaeorum . . . qui longissime absunt, nec vastissimi montes, et turbulentissima maria permittunt eis transitum ad libitum, mittant litteras consensionis* (id est, communionis) *ad Patriar-*

(1) Renaudot. *lib. cit. p.* 264. 265. Hae dioeceses sunt : *Jondisabour*, *Nisibis*, *Bassora*, *Hazza* seu vetus *Arbella*, *Bajermi* seu *Beitgarme* vetus *Martyropolis*, *Holuan*, quae sunt in *Mesopotamia* et *Perside*. In alta Asia metropolis in *Meru* Corossani urbe, in *India*.

(2) Renaudot. *ibidem*.

(3) Muller apud Fabricium *c.* 39. *pag.* 654.

cham (Persidis) *sexto quoque anno* . Ex quibus testimoniis jam luculenter evincitur : Episcopos Indiae a Persidis Patriarcha ordinari et mitti solitos fuisse. Ceterum nec semper mare placidum, nec semper iter expeditum , neque celerem post obitum suum hi Episcopi in sede sua successionem habere poterant . Quo contigit, ut eorum series interrupta lacunis scateat, quae nequaquam facile resarciri possint . Quare consulto nos ab eorum catalogo texendo abstinemus . Saeculo VIII. seu verius circa annum 825. , quo ചെരമപെരുമാൾ *Ceramperumàl* universa Malabaria potitus est, ad urbem *Cranganor* appulit *Knay Tomen* seu *Thomas Canna* mercator Armenus , quem episcopum non fuisse recte docet Anquetil in *Zend-Avesta*, disc. prélim. *pag.* CLXXIX., ubi Assemanum et Raulinum egregie carminat et perstringit . Hic mercator circa annum 825. Malabarensibus Christianis a *Céramperumàl* varia privilegia impetravit, quorum aliqua hodiedum vigent. Exinde anno 925. in Malabariam venit Mar Sapor et Peroses Episcopi Nestoriani Persae, quos circa annum 1129. secutus est Mar Johannes Episcopus, a Catholico Bagdadensi missus (1) . Hunc excepit anno 1490. alter Mar Johannes , et anno 1503. Jaballaha , cui successit anno 1540. Mar Joseph I.,

(1) Le Quien *tom.* 2. Orient. Christ. *col.* 1272.

et post decennium seu anno 1550. Junabus et alii. His accessit anno 1555. Mar Josephus II., et ab anno 1556. usque ad annum 1597. Mar Joseph III., Simeon, et Abraham ultimus Nestorianus Malabarensis Antistes. Horum Episcoporum uberiorem notitiam profert Raulin Caesaraugustanus *dissert.* v. *de Ind. Orient. dioecesi* a pag. 432. usque ad pag. 439. Haec fere est veteris Indicae dioecesis synopsis, qua exhibita, recentioris Indiae faciem ostendendi mens et consilium est. Tu mi Lector lucubrationi huic aequi bonique consule, et si quid est in opere, quod in Christianae religionis decus cedat, hoc curae, munificentiae et auctoritati A. R. P. N. Antonii a Regibus congregationis Hispanicae Carmelitarum Discalceatorum sagacissimo Curatori Generali, quo Assertore in lucem prodit, adscribe.



PROSPECTUS OPERIS



DE PRISCA
INDIA CHRISTIANA

DISSERTATIO

Indiam orientalem Hebraeis, Phoenicibus, Aegyptiis, Arabibus, Persis, Graecis, et Romanis navigatione et commercio notam et frequentatam fuisse, ea facile suadent et evincunt, quae Xenophon (1),

(1) Xenophon, *De Cyri Institut.*, editio tertia per Thomam Hutchinson, Londini 1738. *pag.* 4. 115. 333.

quae Strabo (1), quae Plinius (2), quaê auctor Peripli maris Erythraei (3), Clemens Alexandrinus (4), S. Epiphanius (5), Lipenius (6), Samuel de Schmidt (7), Robertson (8), Adler (9), Huetius, aliique viri eruditi scriptis prodiderunt. Non ita certum et exploratum esse videtur, S. Thomam Apostolum Indis proprie dictis Evangelium annunciasse. Hanc praedicationem negat Tillemontius apud Raulinum (10), qui eidem multis argumentis oblucta-

(1) *Cum Gallus Aegypti Praefectus esset, accepimus naves centum et viginti ex maris portu ad Indiae tractus enavigasse; cum ab initio pauci Ptolemaidis reges navigare prossus auderent, nec mercatoria Indiae vectare onera*. Strabo *lib.* 3. Confer eumdem *lib.* 15., et Flavii Josephi testimonium *antiq. Jud. lib.* 8. *cap.* 2. apud Martinum Lipenium in *navigatione Salomonis Ophiritica*, pag. 146., edit. Hallae Sax. 1660.

(2) Plinius, *hist. nat.* lib. 6. cap. 21. 22. 23.

(3) *Geographiae Veteris Scriptores*, tom. 1. Oxoniae an. 1698. in Periplo maris Erythraei *pag.* 5. *et seq.*

(4) Clemens Alex. Paedag. lib. 2. pag. 234. edit. Venet. *Curiosae in texturis plicaturae longissime amandentur; auri fila et Indicos seres, et inutiles bombyces valere jubentibus*. Ex quibus liquet, Indicas sindones pellucidas tempore Clementis jam cognitas fuisse.

(5) S. Epiphanius *lib.* 2. *contra haereses*, haeresi 66. *sub initio*.

(6) *Navigatio Salomonis Ophiritica illustrata a Martino Lipenio* Hallae Saxon. 1660. pag. 519. Sect. V. *An Ophir sit Asiatica, et nominatim in India Orientali*.

(7) Frid. Sam. de Schmidt, *Opuscula quibus res antiquae Aegyptiacae explanantur*. Carolsruhae 1765. Dissert. IV. *De commerciis et navigationibus Ptolemaeorum*.

(8) Robertson, *An historical disquisition concerning ancient India*. London 1791. vol. 2.

(9) Adler *Collectio nova numorum Cuficorum*, Hafniae 1792. pag. 65. 66. *De numis Samanidicis ad litus maris Baltici effosis*.

(10) Jo. Facundi Raulin, *Historia Ecclesiae Malabaricae*, Romae 1745. pag. 348. in dissert. 1. *De Apostolatu S. Thomae*.

tur. Celebres in Malabaria Christianos, qui se S. Thomae Apostoli discipulos esse praedicant et gloriantur, dubia et incerta traditione niti autumat la Crozius, qui ad Bayerium scribens (12) in ea est opinione, ut censeat, horum Christianorum originem in fine Saeculi tertii statuendam esse. Traditionem horum Christianorum nos paucis infra fulciemus. Quidquid sit de hac Indica S. Thomae praedicatione, certum et perspicuum est, Christianam religionem primis Ecclesiae saeculis in Indiam orientalem proprie dictam penetrasse. S. Hieronymus lib. 2. epist. 1. ad orat. Magnum ait: *Pantaenus, Stoicae sectae philosophus, ob praecipuae eruditionis gloriam, a Demetrio Alexandriae Episcopo missus est in Indiam, ut Christum apud Brahmanas, et illius gentis philosophos praedicaret* (13). Erat *Pantaenus* Clementis Alex. magister, quem Demetrius circa annum 189. in Indiam miserat ad *Brahmanas*, qui non Africae, non Aetiopiae populi sunt, sed *Indiae* proprie dictae, ut habet Diodorus, Cicero, Strabo, Plinius. De eodem Pantaeno disserit Eusebius *praep. Evang.* lib. 5. cap. 10. tom. 2. apud Baronium pag. 333. edit. Luc. *Pantaenus, quem ad Indos perexisse diximus,*

(1) *Thesaur. Epistolic. Lipsiae* 1742. tom. III. num. 32. pag. 62.

(2) Videsis Joannis Alberti Fabrici bibl. Graecam *lib.* 5. *pag.* 102. S. Hier. *de script. eccl. cap.* 18. Tillemont. tom. 3. *Mem. hist. Eccl.* in vita Pantaeni *pag.* 209.

ubi, ut fertur, Evangelium Mathaei (quod ante ejus adventum ibi fuerat receptum) in manibus quorumdam, qui in illis locis Christum profitebantur, reperit; quibus Bartholomaeum praedicasse constat. Pantaeni ergo tempore aliqua Indiae loca jam evangelica luce imbuta fuerant. Addit Baronius: non solum *Pantaenum*, sed etiam *Frumentium*, *Edesium*, *et Theophilum* Indis orientalibus Evangelium praedicasse, ac nonnullos in fide Christiana instituisse, de qua re confer indicem universalem rerum, quae in *Baronii* annalibus, *Pagii* critica, et *Raynaldi* annalibus, notisque *Georgii* et *Mansi* continentur tom. 4. Luccae 1758. sub verbo *India Orientalis*. Jam ante Manetis haeresiarchae tempora, id est: ante annum Christi 280. in urbe *Caschar* habitabat *vir summa pietate praecellens nomine Marcellus, qui erat vir per omnia Christianus, et in justitiae operibus admirandus*, *Archelaus urbis Episcopus, Tryphon presbyter, et populus Christianus*, qui Maneti disputanti, et ad suam haeresim eos pellicienti se toto conatu opposuerat. Cum igitur in *Caschar* Manetis haeresis exstet oppositio, ibi fides Christiana et orthodoxa prius jam exstiterit est necesse. *Hanc epistolam* (Manetis) *ubi legisset memorabilis ille Marcellus, pientissimus ac illustris vir, admirabatur et obstupescebat. Contigit enim ut Archelaus urbis Episcopus illa die domi cum ipso esset, quo Ma-*

nichaei epistolam servus ille Dei in manus accipiebat. Archelaus autem cognita caussa, et lecta epistola frendebat dentibus velut leo rugiens. Et infra: *Archelaus velut fortis paterfamilias suorum curam gerens, et cum fiducia praedam abducere conantem aggrediens fremebat.* Et post disputationem Archelai cum Manete: *Hinc itaque Manes aufugit, populo volente ipsum lapidibus obruere: et nisi Marcellus intervenisset, et reverenda persona sua populum placasset, jam dudum miser ille mortuus esset* (1). Et infra: *Hic autem confutato ipsius sermone, ipsoque simulatore declarato, ipsum compescuit.... At populi rursus zelo commoti, scelestum illum interficere conabantur* (2). Quamquam vero S. Epiphanius urbis *Caschar* situm non satis perspicue describat, attamen si Persidis Scythiae, et Indiae limites scruteris, si Nubiensem, Abbatem Renaudot (3), D. De Gui-

(1) Haec palam et perspicue indicant, Indos Caschareuses Manetis haeresim non adoptasse; quin immo potius omnibus viribus abs se repulisse. Ergo flocci facienda est suspicio et conjectura Tillemontii, La Crozii, et auctoris Alphabeti Tibetani, qui primaevis Indis Christianis Manetis errores perquam liberaliter affingunt.

(2) S. Epiphanius, *lib.* 2. haeresi 66. contra *Manichaeos*, edit. Basil. *tom.* 2. *pag.* 280. 281. 282. 283.

(3) *Anciennes Relations des Indes, et de la Chine*, à Paris 1718. pag. 276. *Caschgar, selon les geographes anciens et modernes, étoit le passage ordinaire de ceux, qui alloient dans le Turkestan, ou à la Chine.* Ibidem ex *Abulfeda* ejus situm describit, non in *Mesopotamia* Syriae aut Chaldaeae, sed Scythiae, de qua intelligendus est locus S. Epiphanii, ut recte tradit Beausobrius tom. 1. *Hist. Manichaeorum*, pag. 191. 192.

gnes (1), d' Anvillium (2), Georgi (3), De l'Isle (4) aliosque praeclaros viros consulas, *Caschar* seu Κασχαρη, eadem urbs est, quae hodie *Caschar* vel *Casgar*, antiqua regni *Caschar* regia et caput, sita sub gradu lat. bor. 37., longit. 100. in mappa D. De l'Isle, Parisiis anno 1781. vulgata. Ex ea urbe via trita patet in Indicam urbem *Cashemire*, quae via etiam in hac mappa rite distinguitur, et describitur.

Itaque in ipsis verae Indiae limitibus jam ante annum Christi 280., antequam haeresis Manichaeorum caput attolleret, Ecclesia Christi orthodoxa, Episcopus, et presbyteri reperiebantur. Ipsam urbem *Cashemire* ab eo fere tempore Christi Evan-

(1) De Guignes *Descript. Mag. Tart.* cap. 1. art. 7. 8. *Caschgar* vel *Kaschgar* hodie regnum et urbs minoris *Bucariae*, quae Ptolemaeo est Κασια *Casia* in Scythia extra *Imau*, a qua montes *Casii*, mondibus *Imau*, Indis *Himala* dictis, contigui. Vide Ptolemaei *Geogr. Cap.* 15. *et* 16. in tab. 8. *Asiae*, et Abb. Raynal, *Storia generale dell' Asia*, tom. 2. pag. 128. edit. Florent. *La piccola Bucaria, o il regno di Kaschgar*; in quo hodiedum aliquae de Christo Servatore agrestes notiones superstites sunt, ut ex P. *Goes*, qui ibi versatus est, recte tradit Raynal.

(2) D' Anville, *Géographie ancienne abregée*, tom. 2. pag. 338. de urbe *Caspira*, seu *Cashmir*; pag. 317. de montibus *Imau*, et pag. 343. de urbe *Serinda*, Arabibus *Ser-hend*, ex qua nomen *Sericae* Ptolemaei deducit, et bombyces ad Justinianum delatos fuisse arbitratur. Videsis etiam ejus mappam Persidis et Indiae, anno 1751. Lutetiae vulgatam.

(3) Georgi, *Alphabetum Tibetanum*, pag. 341. *Locus disputationis ab Archelao cum Manete initae.*

(4) De l' Isle, mappa geographica Indiae anno 1781. Lutetiae edita.

gelio imbutam fuisse multa suadent, cum probabilius ex ea *aurifila* et *bombyces*, de quibus loco supra citato loquitur Clemens Alexandrinus, per *Caschar*, *Cabul*, et *Candahar* in Persidem et Europam exportarentur. Profecto ex hac urbe monachi Christiani primi bombyces et holosericum ad Justinianum Imperatorem detulerunt (1), cum jam antea sub Tiberio et Claudio uniones, ebur, aromata, testudo, subtilesque sindones teste Plinio *hist. nat. cap.* 17. *et* 22. via maritima Romam perferrentur. Et S.Hieronymps epist. xv. ad Laetam: *De India, Perside et Aethiopia monachorum quotidie turbas suscipimus*. Ubi jam perspicis, primis illis saeculis et monachos Christianos in India exstitisse, et heic Aethiopiam a vera India dilucide distingui. In hanc ab *Agbeo* S. Thaddaei discipulo Evangelii lucem illatam fuisse, tradit Assemanus, *tom.* 3. bibl. orient. *part.* II. *pag.* 16. *et* 17. Vim argumenti auget canon 28. part. II. in Act. *Synodi Nicaen.* anno Christi 325., in quo canone perspicua mentio fit Johannis Persidis et *magnae Indiae* Episcopi, qui subscribit: Ἰωάν-

(1) *Cashemir*, Herodoti *Caspyra* jam ab Alexandri M. aevo commeatibus celeberrima Indiae urbs, hodie preciosas illas telas *Shal* seu *Scial* dictas per totam Indiam et Persidem mittit. Vide Heeren, *Commentatio de Graecorum de India notitia* et P. Marcum a Tumba Miss. Cap. *in Cod. ms.* Musei Borgiani lingua Italica exarato *pag.* 97. Strahlenberg, *Description de l'empire Russien*, tom. 1. *pag.* 295. D'Anville *l. cit.*

νῆς Πέρσης τῆς ἐν Περσίδι πάσηκαὶ τῇ μεγάλῃ Ἰνδίᾳ: Cui autem bono *magnae Indiae* Episcopus, si nulli in India erant Christiani? vide la Croze, *Histoire du Christianisme des Indes*, a la Haye, tom. 1. lib. 2. *pag.* 65. Profecto, religionem Christianam in India, et quidem in Malabaride jam altas radices saeculo V. fixisse, ea maxime probant, quae Cosmas Aegyptius monachus, Indopleustes dictus anno, circiter 535., imperante Justiniano litteris prodidit. Sic autem ipse disserit (2): Ἐν τῇ Ταπροβάνῃ νήσῳ ἐν τῇ ἐσωτέρᾳ Ἰνδίᾳ, ἔνθα τὸ Ἰνδικὸν πέλαγός ἐστι, καὶ Ἐκκλησία Χριστιανῶν ἐστὶν ἐκεῖ καὶ κληρικοὶ, καὶ πιστοὶ, οὐκ οἶδα δὲ εἰ καὶ περαιτέρω· ὁμοίως, καὶ εἰς τὴν λεγομένην Μαλὲ, ἔνθα τὸ πέπερι γίνεται· καὶ ἐν τῇ Καλλιάνα δὲ τῇ καλουμένῃ, καὶ Ἐπίσκοπός ἐστιν ἀπὸ Περσίδος χειροτονούμενος. ὁμοίως καὶ ἐν τῇ νήσῳ τῇ καλουμένῃ Διοσκορίδους κατὰ τὸ αὐτὸ Ἰνδικὸν πέλαγος, ἔνθα καὶ οἱ παροικοῦντες Ἑλληνιστὶ λαλοῦσι, πάροικοι τῶν Πτολεμαίων τῶν μετὰ Ἀλέξανδρον τον Μακεδόνα ὑπαρχόντων, καὶ κληρικοὶ εἰσιν ἐκ Περσίδος χειροτονούμενοι καὶ πεμπόμενος ἐν τοῖς αὐτόθι; καὶ Χριστιανῶν πλῆθος. „ In Taprobana Insula ad interiorem Indiam, ubi Indicum pelagus exstat, Ecclesia Christianorum habetur, ubi Clerici, et fideles reperiuntur: an ulterius etiam, ignoro. Similiter in Male, ut vo-

(1) Cosmae Indicopl. *Christian. opinio de mundo, sive topographia Cristiana*, pag. 113. in opere inscripto: *Collectio nova Patrum et scriptorum Graecorum*, tom. II. Parisiis apud Claud. Rigaud anno 1706. cum praef. Bernardi de Montfaucon *lib.* 3. *pag.* 178. 179.

cant (*unde Male bar*) ubi gignitur piper (1). In Calliana vero (sic nuncupant) Episcopus est, in Perside ordinari solitus. Similiterque in Insula, quae Dioscoridis vocatur, in eodem Mari Indico sita, cujus incolae Graece loquuntur, suntque coloni a Ptolemaeis Alexandri Macedonis successosibus istuc deportati, Clerici reperiuntur, ex Perside, ubi ordinantur, eodem transmissi; ibi etiam Christianorum multitudo versatur. Igitur *in Taprobana* insula seu Salica, hodie Ceilan, Plinii tempore commercio florentissima, ut is loco a nobis supralaudato palam et aperte docet; in *Male* seu മലനാട Malenáda *provincia montium*, unde മലയാളം Maleyalam *regio* seu *provincia exstensionis montium*, in qua *piper nascitur*, ab Arabibus *Malabar* dicta; Ecclesia Christi, clerici et fideles reperiebantur, quorum Episcopus in *Perside* ordinari solitus fuit. Quod quidem cum canone Nicaeno mirifice consentire, nemo est, qui non videat. *Calliana* autem, de qua heic Cosmas loquitur, non est urbs *Calecut*, quod in notis *pag.* 56. Christianismi sui Indici ad hunc Cosmae locum docet la Croze. *Cali-*

(1) *Malebar* corruptio est vocabuli Indici *Malengara*. Male vel Mala *montes*, gara, vel cara *terra*, *provincia*, *regio*, *districtus*. Unde exsurgit dictio *Malengara*, *districtus montium*, regio, ita dicta ob montes Ghattes mari imminentes, quibus tota tumescit.

cut vel *Calecut* corruptio est vocabuli Malabarici കൊഴിക്കോട *Colicotta* , in qua dictione littera ഴ Malabarica , illi genti peculiaris , quae nullo Europaeo sono aut littera ex aequò reddi potest , suppletur per litteram l. latinam aut lusitanam ; unde emergit dictio *Colicotta* , et corrupte *Calicut* , quod ex sua Malabarica etymologia sonat : *arx* , *municipium gallinaceum* , fortassis a frequentia gallorum Indicorum , aut a phasianis et attagenibus , qui ibidem , ut alibi in Malabaria frequentes sunt , ita dictum . Vide lexicon R. P. Hanxleden , P. Biscoping, et D. Pimenteli sub voce *Colicotta* . Jam autem quae communicatio , quis consensus et harmonia dictioni *Calliana* cum vocabulo *Colicotta* , aut *Calicut* ? Adeo haec distant , ut nec etymon , nec sonum attingant , quin immo quam perfectissime dissentiant . കല്യാണം *Caliana* Samscrdamice , et Malabarice , *bonitas* , *gaudium* ; കല്യാണാലയം *Calianálaya* , domicilium,habitatio, *Sedes gaudii et bonitatis*, കല്യാണപുരി *Calianapuri* , *gaudii* seu *bonitatis urbs* . Caliana igitur Cosmae re et sono aliud est a Calicotta seu Calicut . Haec urbs Calicut condita fuit anno Christi 907. ab uno ex intimis amicis Imperatoris *Sharam perumal* , ut ex Petro Texeira recte docet Chri-

stianus Funcius in *Breviario orbis*, Wratislaviae anno 1689. *pag.* 565.; tunc enim സാമൂരി Samuri, seu തമുൾപ്പാട Tamulpáda, olim regni *Concam* ac *Madhura* reges *Tamulici*, unde *Tamulpada* et *Pandiperumal* dicti, commercio et opibus Arabum allecti littora maris Malabarici incolere, ac urbem *Calicut* condere coeperunt, cum antea mediterranea incoluissent (1). Primus qui toti Malabariae imperavit, erat ചെരമപെരുമാൾ *Ceramperumal*, qui saeculo octavo imperium Malabaricum fundaverat, et hunc Calicutenses gentiles, ut deum venerantur, ac ejus acinacem reges *Samuri* illius successores inter cimelia domestica maximo honore ac veneratione asservant. Quod tradit R. P. Ildephonsus a Praesent. Malabariae praeco Apostolicus, qui Calicuti cum regis *Samuri* administris saepe familiariter versatus est. Hanc urbem *Calicut* Anquetil du Perron in *Zend. Avesta*, disc. prel. *pag. CXLIV.* a Sharanperumal (Ceramperumal) anno Christi 825. conditam fuisse scribit: *Calicut est une Ville considérable, bâtie l'an 825. de J. C.* Verum alucinatus est Anquetilius, dum aeram

(1) *In Becare* (*Badagare* d' Anvillio et Indis) *regnat Pandion* (id est rex *Pandi*) *longe ab emporio mediterraneo distante oppido, quod vocatur Modusa*) id est *Madura* antiqua arx et regnum. Plinius *hist. nat. lib. 6. cap.* 23. Similia habet auctor Peripli maris Erythraei *l. c.*

fundationis urbis *Collam*, urbi *Calicut* affingit, urbs enim *Calicut* a *Collam* prorsus diversa est. La Crozius in historia christiana Indica *pag. 66.* Scaligerum *lib.* 5. *de emend. temp.* secutus, ita de Urbe Calicut disserit in notis: *l'époque de cette ville* (Calicut) *prend de lui* (*Sharamperumal* quod corruptum est a Malabarico *Ceramperumal* more Italico pronuntiatum) *son origine. Elle comence selon Scaliger l'an de N.S.* 907. Profecto fundationem urbis *Calicut* Malabariae imperatori Sharamperumal seu Ceramperumal, qui circa finem saeculi octavi universa Malabaria potiebatur, etiam adscribit R. P. Vincentius a S. Catharina Senensi Carmelita Discalceatus Malabariae Missionarius, qui Calicuti gentilium indigenarum traditionem, et Petrum Texeira optimi Judicii virum secutus ita de urbe Calicut disserit: *Questa città dicono fosse fondata da Xeramperumal poco prima di morire, perciò è tenuta in gran venerazione, e si conserva in quella la di lui Spada, ed il Candelabro, che per grandezza gli portavano avanti* (ut deinde Samurino) *mentre usciva in publico, contando li naturali li loro anni da quello della di lei fondazione come del più memorabile.* P. Vincentius, *Viaggio all'Indie Orientali* lib. V. cap. 1. *pag.* 414. Jam autem, cum Anquetil du Perron ipsemet in *Zend-Avesta* disc. prelim. pag. CLXX. et seq. privilegia a *Sharamperumal*

Christianis S.Thomae,et Hebraeis concessa, ac in tabula aerea lingua Tamulica exarata, quae Judaei Coccinenses hodiedum asservant, ad initium saeculi noni referenda esse doceat, vehemens supicio subesse videtur, ea ratione privilegia illa alienigenis concessa fuisse, ut eos ad commercium Indicum, atque ad sui regni domicilium alliceret. Tunc ergo urbs Calicut a Ceramperumal condita fuit, ejusque fundatio non ad annum Christi 825., sed ad posteriora tempora rejicienda est, ut eam rejicit Texeira, Scaliger, la Croze, Funcius, et P. Vincentius a S.Catharina. Deinde omni dubio vacat: annum Christi 825. quem Anquetil fundationi urbis *Calicut* assignat, urbis *Collam* erectioni attribuendum esse. Hoc nos ex tabula aerea, et inscriptione certa regis Coccinensis docuimus in Systemate Brahmanico *pag.* 231.; hoc docet P. Raulin ex schedis Malabaricis in sua historia Ecclesiae Malabaricae *pag.* 446., ubi in instrumento Malabarico conventionis Christianorum S. Thomae, annus Christi 1704. correspondet anno urbis Collam 879., hoc distinctis verbis docet P.Clemens a Jesu in Alphabeto Samscrdamico-Malabarico *pag.* 21. contra Assemanum, hoc plures epistolae Malabaricae quas exhibere possum, palam et aperte evincunt. Cum igitur urbs Calicut longe post aevum Cosmae, atque post ipsam adeo urbem Collam con-

dita fuerit, *Calicut* Cosmae *Calliana* esse nequit. Neque est urbs *Collam*, *seu Colon*, quod vult Montfaucon *pag. IX.* in *praef.* ad Cosmae *Topographiam*, et Assemanus *Dissert. de Syr. Nestorianis*; quia innumeris, ut diximus, et perspicuis monumentis patet: urbem കൊല്ലം *Collam*, unde corruptum est *Colon*, *Coulon*, et *Coulan*, anno Christi 825. conditam fuisse; a cujus fundatione Malabarenses indigenae omnes aeram suam scribunt. Vide Alphabetum Grandonico Malabaricum, Romae 1772. *pag.* 21. et Vischerium Ecclesiasten Coccinensem apud Raulin *pag.* 5. *in notis*, Systema Brahmanicum liturgicum, mythologicum, civile, *pag.* 231. *in notis*, ubi regis Coccinensis autographa attulimus. Urbis ergo Collam fundatio aevo Cosmae longe posterior est, neque Cosmae Calliana esse potest. At vero recte dixeris, Cosmae *Callianam* esse കല്യാണപുരി *Calianapuri*, id est, *gaudii*, *bonitatis* urbem, cujus vetera rudera hodiedum supersunt ad flumen urbis *Bacanor*, ubi in *Calianapur* hodiedum exstat ecclesia *S. Mariae de Rosario*, duorum dierum itinere ab urbe *Mangalor* versus Boream, semper maris littora legendo, sita. Vide Anquetil du Perron lib. cit. pag. cxcvi. *Calianapour à deux journées de Mangalor*. Ibi vetus oppidum exstat, quod nomen *Ca-*

lianapuri, ad nostra usque tempora conservat (1). Exstat in schedis meis mappa geographica R. P. Geminiani a S. Octavio Carm. Disc., qui omnes portus, fluminum ostia, et urbes inter *Calicut* et *Goam* exsistentes ex ordine recenset et lineis distinguit; atque hic etiam *Calianapur* ad flumen urbis *Bacanor* una leuca intra mediterranea collocat. Vocabulum *pur*, vel *puri*, *urbs*, retento *Caliana*, in Cosma deficit, ut in aliis Indicis dictionibus ab eo allatis. Sic v. g. Montfaucon ex Cosma *pag.* x. scribit *Mangaruth*, emporium littoris Malabarici: quod absque dubio est *Mangalor* seu potius *Mangalur*, quod Indi മംഗല പുരി *Mangalapuri*, *felicitatis urbs*, scribunt. Ubi vides vocabulum *puri*, *urbs*, fere semper a scriptoribus exteris in dictionibus Indicis omissum fuisse. *Mangalur* ab aevo Cosmae usque ad hunc diem emporium est Malabaricum celebre. Wilford *in dissert.* de urbe Indica *Tagara* (2) existimat, *Callianam* veterum prope *Bombaynum* sitam fuisse, quia ad Austrum Callianae alia dabantur Malabaridis em-

(1) *Passammo per Calianapur, luogo molto popolato, e ricco, dove pure si trova una fortezza . . . Dopo partimmo per Bacanor*) nempe maris littora ab Austro versus Boream legendo) P. Vincentius *lib. cit. cap.* 3. *pag.* 422.

(2) Asiatick researches, or Transactions of the Society instituted in Bengal, vol. 1. Calcutta 1788. pag. 369. *Remarks on the city of Tagara*.

poria. Verum D. Wilford locum et situm Callianae ad Bombaynum definiat et assignet. Nos nomen, rudera, et situm monstravimus. Post *Calianapuri* versus Austrum duorum dierum itinere exstat *Mangalapuri* seu *Mangalor*, quod Montfaucon ex Cosma *Mangarut* scribit. Hoc emporium aeque ut alia semper piratae infestabant, ut tradit Plinius *hist.nat. lib. 6. l. c.*, et Arrianus in Periplo ait: *Post Callienam alia sunt emporia vernacula, quibus regionis incolae tantum utuntur, Semylla, Mandagora, Palaepatna.* Quae vocabula corrupta satis indicant: *Mangalor*, et *Baliapatna*, quod ab urbe *Taliceri* tribus leucis versus Boream distat (1), nostrae *Calianae* emporia confinia, et ab ea ad Austrum excurrentia fuisse, ut hodie sunt. Atque his in locis piratas *Molandis*, aut *Malabares* dictos semper extitisse, D. Wilford non negabit, si australis Indiae historias et navigationes consulat. Quare etiam Arrianus *loco cit.*, postquam insulam *Aegidiorum*, seu അഞ്ജെദ്വീപം *Angeduibam*, quinque parvas insulas complectentem sub gradu *lat.* 15. infra urbem *Goa* sitam, ac hodie *Angediva* dictam nominasset, ait: *quibus in locis sunt*

(1) *Baliapatano* (Baliapatna vel Baliapatan *magna urbs* dictio composita ex Balia *magna*, et patan *urbs* (*fortezza assai grande, dove ordinariamente risiede il Naich, o Rè di Cananor.* P. Vincentius *lib. cit. pag.* 417. Meo tempore ibi residebat regina *Colastri*.

piratae. Veterum urbem et emporium *Barace*, hodiernum esse *Barcelor*, inter Goam et Taliceri situm, ipse fatetur *Rennel* apud Robertson in hist. commercii Indici, *vol.* 1. Vide giornale de letterati tom. 88. anno 1792. Pisa, apud Cajetan Mugnaini, *Art. XIII. pag.* 244. *et seq.* *Caliana*, ut idem ait auctor Peripli maris Erythraei, *Saragani senioris temporibus celebre, ac frequens emporium exstitit*. At pulsis ex India Graecis et Romanis, Arabes saeculo VIII. commercium in Mangalur, in Cannanùr, Calicut, Cranganur, Collam, et Coleci stabilierunt et propagarunt, ex qua caussa vetera emporia *Barace*, *Calliana*, *Musiris*, aliaque relicta conciderunt. Vide Ptolemaeum *lib.* 7. *tab. V.* edit. Argent. 1522. *fol.* 93., ubi urbem *Balepatna*, id est, *Baliapatna*, et *Mandagora*, seu *Mangalor* in ditione *virorum piratarum* collocat, ut Arrianus *l. cit.* Confer etiam Cellarii, *Notitias orbis antiqui*, Lipsiae anno 1773. *lib.* 3. *pag.* 743. 744., Dodwellum *in dissert.* ad Arriani Periplum, qui ex tabula *Peutingeriana*, in ditione regis *Pandionis*, id est, regni പാണ്ടി *Pandi*, quo nomine hodiedum venit regnum *Madure*, Claudio Imperatori basilicam seu mercium promptuarium dicatum fuisse affirmat. Et D'Anville lib. sup. cit. *pag.* 356. Madure regis *Pandionis* domicilium describens ait: *Du quel, come d'un autre grand Prince ap-*

pellé Porus; *Auguste etant a Samos reçut une ambassade*. Hujus regis, a quo *Samorini* reges descendunt, potestas et imperium una cum *Cerambotti* potestate per totam Malabariae oram australem extendebatur. De Pori legatione vide Strab. *lib.* 15. Alterius similis legationis ad Claudium Imp. ex insula Taprobane, Palesimundi, seu Salica, hodie Ceylan dicta, meminit Plinius hist. nat. lib. 6. cap. 22. his verbis: *Nobis diligentior notitia Claudii principatu contigit*; *legatis etiam ex insula advectis*. Alias Indorum legationes ad Trajanum, ad Constantinum, ad Heraclium describit Baronius. Videsis tom. II. indicis universalis ejus operum, verbo *India Orientalis*. Quare jure explodas opinionem Tillemontii et aliorum, qui Indos proprie dictos Graecis et Romanis ignotos fuisse, Pantaenum, S. Thomam Apostolum, aliosque primitivae ecclesiae viros ad veros Indos non accessisse levissimis argumentis inducti docent, Maneti autem atque ejus discipulo Thomae ad veram Indiam facilem accessum praebent eo ipso tempore, quo aliis omnino arduum et insuperabilem fuisse contendunt. Sola Indicae navigationis ratio, iter, tempusque a Plinio, Solino, et Arriano rite descriptum, haec levia dubia perfecte dispellit (1).

(1) *Cyrus cum audisset Chaldaeos ad Indum* (amnem, ubi vera India incipit) *saepe proficisci, recordatus ab hoc* (Indo flumine) *venisse quosdam ad Medos, qui quid rerum apud ipsos gereretur, explo-*

Reperta jam Cosmae *Caliana*, nihil fere difficultatis in historia ecclesiae Malabaricae superest. Christiani illi Episcopos Nestorianos saeculo VI. et VII. ex *Seleucia* et *Ctesiphonte*, deinde ex *Mosula* accipiebant, donec saeculo VIII. ad Malabares, et quidem in oppidum *Cranganor* accessit quidam mercator Armenus, quem Malabarenses ക്നായി തൊമ്മൻ *Cnai Tomen*, alii *Thomam Canna* appellant. Hic a *Ceramperumal* in Cranganor multa privilegia pro Christianis Thomaeis impetravit, quae aeneis tabulis inscripta asservarunt. Haec tamen injuria temporis perierunt, ut infra contra Anquetilium du Perron ostendemus. Ab aevo hujus Thomae historiam ecclesiae Malabaricae multa rerum ubertate et facundia scribit Raulin, Romae anno 1745. typis *Mainardi* editam, Antonius de Gouvea, *Jornada de Menezes*, anno 1606. Le Quien *tom.* 2. Orient. Christ. *col.* 1275. etc. Assemanus *bibl. orient. tom.* 4. et alibi passim, Franciscus de Sousa, in opere inscripto: *Oriente Conquistado a Jesu Christo*, Lisboa

rarent, eosdemque deinde ad hostes etiam abiisse, ut illorum quoque res perspicerent..... Xenophon, *De Cyri instit.* pag. 157. edit. *Thomae Hutchinson*. En quomodo jam ab aevo Cyri Chaldaei, Armeni, Persae commercii caussa Indiam petant! Graeci Bactrianam diutissime tenuerunt, Romani cum Indis commercia exercuerunt, legati Indici ad eos ventitabant, turmis mercatorum ad Indos iter patebat, et S. Thomae Apostolo, Pantaeno, Agheo, Frumentio primis ecclesiae saeculis ad eos accessus non pateat?

1708. *tom.* 2. conquista 1. et 2. *pag.* 145. 156. 119., et alibi passim. Hic scriptor peracris judicii vir, qui pleraque ex schedis et monumentis sive Malabarensibus, sive Lusitanis Goae coram inspectis et rite pensitatis sine partium studio litteris prodidit, cum primis est consulendus. Videsis etiam Joannem de Barros *lib.* 5. *cap.* 8. *et lib.* 6. *cap.* 6. La Croze, *Histoire du Christianisme des Indes*, a la Haye anno 1758. (1).

Ex horum virorum disquisitionibus sequitur, *Mar Sapor*, et *Mar Proudh*, quod ultimum vocabulum la Croze *Mar Perozes* scribit, duos Episcopos Babylone in Malabariam venisse anno Christi 925., non autem anno 850., ut vult Raulin, nec anno 880. ut autumat P. le Quien. *Cem annos depois da fundaçao de Colon desembarcarao em Manacord Mar Sapor e Proudh*, ait Franciscus de Sou-

(1) Non omnes Christianos, qui hodie discipulorum S. Thomae Apostoli nomine gloriantur, revera primitus a Pantaeno, aut a S. Thoma institutos fuisse, lubens fateor, et ante me viri eruditi in animadversionibus ad Baronium jam notarunt. Inter eos vero qui hoc nomine gaudent, nonnullos Chisti legem a S. Thoma acceptam retinuisse, spectata illa firma, constanti, universali etiam Ss. Patrum testimonio fulcita traditione, quam intra afferemus, vix negari potest. De moribus et institutis horum Christianorum ante accessum Lusitanorum in Indiam, simplicem, apertam et maxime veracem narrationem tradit *Josephus Indus Cranganorensis* in libro inscripto: *Novus orbis regionum et insularum*, Basileae 1532. cap. 132. 133. pag. 142. et seq. *Qui eorum pontifices moderantur ecclesias*. Confer Oriente conquistado a J. C. *tom.* 5. *pag.* 145. *et seq.*

sa. Cum igitur urbs *Collam* condita fuerit anno Christi 825., et ab ea condita annis *centum*, Episcopi hi non in *Collam*, sed in *Mannacord* Malabarense solum subierint, eorum accessui assignandus est annus Christi 925. Hos indigenae Malabarenses കന്തിശങ്ങൾ *Candisanguel*, id est, *Sanctos* vocant, ac schismatici praesertim australes, ut tales venerantur. Hos secuti sunt Joannes III., Joannes IV., Jaballaha, Josephus I., Junabus, Mar Ioseph II., Mar Joseph III., Mar Abraham, ultimus Syro-chaldaeus Ecclesiae Angamalensis Episcopus Nestorianus, qui anno 1596. e vivis excessit, et condìtus est in Angamali in ecclesia S. Hormisdae.

Ut vero lector de his Episcopis ac de Persica eorum Missione, cujus supra meminit Cosmas Indicopl. distinctiorem notitiam nanciscatur, juvabit heic pauca addere de primaevis Persidis Christianis. Evangelium Christi in Perside praeconibus ipsis Apostolis fuisse annunciatum, prodidit S. Hieronymus in catalogo *de script. eccles.*, Eusebius *lib.* 3. *hist. eccl. cap.* 23., et Bardesanes saeculi II. scriptor apud Eusebium *lib.6. de praep.Evang. cap.* 8. refert: suo tempore apud Persas a Christo Servatore institutam religionem jam viguisse. M. Constantinus in epistola ad Persarum regem *Saporem*, quam refert Eusebius, scripta: eidem commendat Per-

sidis Christianos, *quorum multitudine nobilissima quaeque Persidis loca longe lateque esse decorata* ait. Denique, ut supra diximus, Joannes Episcopus *Persidis* et *Indiae* in Nicaena synodo praesens aderat, cujus subscriptio arguit: in Perside et India tunc temporis Christi fideles omnino adfuisse. Confer Sozomeni *hist. eccles. lib. 2. cap. 9.*, Acta *primorum Martyrum sincera et selecta Theod. Ruinart*, Parisiis typis Franc. Muguet 1689. *pag. 632.* Orthodoxa itaque fides in Perside et India primis Ecclesiae saeculis floruit, et quia Persis et India commercio, navigatione, pace et bello semper mutuo communicabat, ac una alterius limites tangebat, fides Catholica, quae in Perside viguit, etiam in Indiam propagata fuit. At postquam anno Christi 431. perniciosa Nestorii haeresis in concilio Ephesino confixa, defensores nacta est Alexandrum Episcopum Hierapolitanum et Metropolitanum Germaniciae Nestorii patriae, Ibam Episcopum Edessae cum sua celebri schola Persica, qui scripta Theodori Mopsuesteni lingua Persica, Syriaca, et Armena in vulgus sparserant, tunc Nestorii errores in *Seleuciam* ad Tigrim sitam, hodie *Selik*, *Bagdad*, et Malabarensibus *Bagdági* dictam, nullo resistente illati fuerant, ac per totam Persidem et Indiam circumferebantur. Ex hac ergo ecclesia et

schola prima Nestorianae haeresis ad Indos fuere perlata semina, quae indulgentissimi, et incauti Indiae Christiani facile susceperant (1). Ex hac ecclesia et schola ingens illa farrago librorum haeresi Nestoriana scatentium prodiit, quorum lemmata affert synodus Malabarensis Odiamperitana act. III. decreto XIV. apud Raulin *pag. 94. et seq.* Dolet hodiedum schismáticis Malabarensibus dum nomen *Bagdági* audiant, ejusque eversionem et jacturam persentiunt. Qui dolor eorum cordibus hodiedum insitus, tacitum argumentum est omni robore majus, veteres suos antecessores Christianos sedi et doctrinae Nestoriani Episcopi Bagdadensis seu Seleucensis addictissimos fuisse. Hoc dilucide demonstrat fragmentum epistolae *Jeshujabi Adjabeni*, qui obiit anno 660., atque ante obitum ad *Simeonem* Episcopum *Ravadsciri* Metropolitanum Persidis Primatem conquestus est: quod

(1) *Simeon, que les Nestoriens appellent Barsabai, qui souffrit le martyre dans la grande persecution de Sapor, et qu' ils mettent au nombre de leurs Catholiques, etoit selon Sozomene*, Archèveque de Seleucie et de Ctesiphonte, villes royales de Perse. *Les Nestoriens s'y etablirent, et acquirent une grande autorité sous Cosroes Nuschirouan*. Renaudot, *Eclaircissement touchant la predication de la Religion Chretienne a la Chine*, pag. 263. in lib. sup. cit. Hi Nestoriani Episcopi, alias Catholici dicti, unum suae sectae Episcopum mittebant in oppidum *Casear*, alium in *Ariam*, alterum ad litus *Malabaricum*. Vide eumdem Renaudotium *pag.* 264. ubi novem Nestorianae Hierarchiae sedes Metropolitanas describit.

Episcopi Persidis et Indiae excusso Seleucensis antistitis jugo, se se Metropolitanos constituant, neque Seleucensi Catholico, a quo primum missi fuerant, amplius obedientiam praestare velint. *Cum per legitimos traductores* (ait ipse) *perque canonum semitas donum Dei fluxerit fluatque, en plenus est terrarum orbis Episcopis: et in vestra regione* (in Perside) *ex quo ab ecclesiasticis canonibus defecistis, interrupta est ab Indiae Populis* (nempe circa annum 655.) *a sacerdotalis successio; nec India solum, a maritimis regni Persarum finibus usque ad Colon* (lege *Covalam*, quod oppidum est promontorio Comorino assidens, cujus meminit Pomponius Mela, Dionysius Periegeta, et Strabo (1) apud Cellarium), *sed et ipsa Persarum regio vestra divinae doctrinae lumine, quod per Episcopos veritatis refulget, orbata, in tenebris jacet*. Vide Asseman. *tom.* 4. *pag.* 27. *et tom.* 3. *pag.* 131. Raulin *pag.* 433., qui Jeshujabi *Colon* perperam et falso insulam *Cilao* seu *Ceilan* esse existimat. Ex his ergo Cosmae Indicopl. auctoritas et veracitas palam et aperte confirmatur, atque insuper evincitur: I. in Malabaridis ora clericos et sacerdotalem ordinem ac successionem ante

(1) Vide Cellarii *Notitias orbis antiqui*, Lipsiae 1773. lib. 3. cap. 23. §. 28. *pag.* 744. Oppidum hoc quod inter Manacudi et promontorium Comorinum jacet, veteribus celebre, *Colis*, *Coliacum*, *Colias*, et *Colligicum* dicebatur.

Jeshujabi tempore viguisse; II. a Persidis finibus usque ad oppidum *Covalam* promontorio Comorino assidens Christi fideles vicatim dispersos in litore Malabarico vixisse; denique III. hos eosdem Christianos antiquitus cum sede Bagdadensi seu Seleucensi in religionis rebus communicasse (1). As postquam saeculo VII. Saraceni Persidem et Mesopotamiam invaserant, diruta Seleucia et Ctesiphonte Arsacidarum urbibus, aliisque ad Tigrim sitis, Antistes Seleucensis seu Babylonicus episcopalem sedem transtulit in *Mosul*, quae est urbs ad Tigrim sita e regione antiquae *Ninives*, cui in occidentali plaga et litore Tigris opponitur *Mosul*, aliis *Mosuel* vel *Mosal* dicta. In hac urbe non desunt monachorum Nestorianorum hospitia, in quibus contubernales vivunt Episcopi monachis Nestorianis et Jacobitis, a quibus varia haereseos semina ad litus Malabaricum, in urbem *Madrast* in ora Coromandelidis, atque in urbem *Calcutta* ad ostia Gangis sitam jam dudum perlata fuerunt. Ex *Mosula* itaque series illa Nestorianorum antistitum derivatur, quam paullo supra tradidimus. Eorum libri Nestoriani in synodo Odiamperitana flam-

(1) Jurisdictionem in Indiam sibi arrogabant etiam veteres Antiocheni Patriarchae, ut tradit Allatius *lib.* 1. *c.* 9. *pag.* 166. apud Renaudot *pag.* 264. Verum ad annum usque 1665. nullus Jacobitarum Praesulum in Malabaria comparuit.

mis traditi fuere : ex qua caussa , horum Episcoporum varia doctrina , successionis ratio et tempora , missiones eorum , et ipsa series Patriarcharum, a quibus mittebantur, (1) obscura, et multis lacunis referta est . Nulla ab iis in India alicujus coactae synodi memoria , nulla alicujus martyrii monumenta : sunt enim Indi ad tolerandas varias religiosas doctrinas et opiniones faciles et indulgentes, reges ipsi et gentilium apices sacerdotes Brahmanes suae superstitionis tenacissimi, alienae religionis incuriosi; quorum opiniones, ritus, idola et templa, si sarta tectaque relinquantur, relinquunt, etiam ipsi alienigenas incolumes et suis opinionibus indulgentes. Neque vero haeretici hi Nestoriani sui dogmatis adeo tenaces sunt, ut pro eo asserendo mortem oppetendam esse existiment; sed magis simulatione more Orientalium agunt, et blanditiis reges, ac

(1) Ab anno Christi 636. historia ecclesiastica Catholicorum Seleucensium, qui episcopos ad Indiam mittebant, numerat Patriarchas sequentes : *Jesbujab* , *Mar Ama Jesbujab* , *Gregorium* , *Johannem* , *Hananjesbu* , *Johannem* alterum , *Selibazakam* , *Phiton* , *Mar Aba* , *Surenam* , *Jacobum* , *Hananjesbu* secundum . Vide Renaudot pag. 257. in *lib. cit.* Ab his ergo Malabarensium Nestorianorum Antistitum procedit Missio , quae , si *Jesbujabi Adjabeni* auctoritati supra laudatae aliquid ponderis tribui potest , ab anno circiter 655. usque ad annum 925., quo *Mar Perozes* , et *Mar Sapor* in Malabariam appulerunt, interrupta fuisse videtur . Vide de his et sequentibus Nestorianis Malabariae Episcopis Raulinum *Dissert.* 5. *de Indor. Orient. dioecesi* pag. 435. et seq.

Praefectos demulcent. Qua agendi ratione placidum Indorum Christianorum gubernium sortiti, sine synodis et martyriis eos gubernabant. Unde id etiam historiae Indicae veteri accidit incommodum, ut pauca habeat monumenta. Primus Nestorianorum Antistitum Malabarensium, cui acre bellum fuit admotum, erat *Mar Abraham* ultimus ecclesiae Angamalensis in Malabaria Nestorianus Episcopus(1), cujus supra meminimus: hunc enim Lusitani, viri strenui et verae religioni addicti, zelo orthodoxae fidei proprio aggressi sunt, atque eo mortuo sedem Angamalensem Nestorianam in

(1) Illustrissimus ac Reverendissimus D. Aloysius Maria a Jesu Carmelita Discalseatus Episcopus Usulensis, Malabariae Vicarius Apostolicus, litteris anno 1792. ad me datis quaesivit: an Mar Abraham *Catholicus*, an vero *Nestorianus* obierit. Mar Abraham a Nestorianorum Patriarcha *Abdjesbu* ad regendam Angamalensem Ecclesiam fuit missus, et Nestorianam fidem constanter professus est, quam etiam Archidiacono *Georgio* tenendam tradidit. Is ipse an. 1583. sub *P. Valignano* S. J. visitatore et Missionario ob 300. numos *Cruzados* dictos eidem ex gazophilacio regio Lusitano assignatos Catholicam fidem per plures annos simulavit. At anno 1590. iterum palam et aperte ad vomitum rediit, atque Nestorii errores pristinos usque ad annum 1597., quo fato cessit, professus est. *No anno 1590. outra vez se declarou Nestoriano*, ait P. Franciscus de Sousa *Conquista* 1. *divis.* 2. *tom.* 2. *pag.* 119. *et seq.* Ecclesia Angamalensis ipsa, cui praerat Mar Abraham, in adventu D. Alexii de Menezes non Catholicam, sed Nestorianam fidem profitebatur. Nihil itaque est, quod me moveat, ut credam, hunc Episcopum in Ecclesiae catholicae sinu mortem opetiisse.

latinam et orthodoxam converterunt (1). Ab hoc Mar Abraham, quin immo ab anno 1500. nostra historia Indiae Christianae incipit, cui ut aequi bonique consulas, Te benevole lector obsecramus. In ea praecisis inutilibus quaestionibus, ecclesiarum fundationes, seriem Episcoporum, chorographiam Missionum, persecutiones, viros illustres exhibebimus, aliaque summa rerum capita illustrabimus, quae maxime in Ecclesiae ac Religionis decus cedunt, et quae ab aliis aut omnino praetermissa, aut obiter pertractata fuisse comperimus. Sit itaque.

(1) Hoc vehementer dolet La Crozio a Catholica fide transfugae. Peroptaverat ipse Lutheranae religionis dogma Malabariae inferri; quod si factum fuisset: hominem videremus blandum et mansuetum.

INDIA CHRISTIANA RECENS

ECCLESIA GOANA

Postquam Lusitani anno 1502. D. Vasco de Gama duce ad litus Malabaridis in urbem Calicut, Coccinum, Collam, ac deinde 1508. Goam appulerant, primi in hac urbe sacra curarunt ordinis S.Francisci et S. Dominici alumni (1). Accrescente in ea insula et urbe fidelium numero, erecta fuit parochialis ecclesia sub invocatione S. Catharinae M., quae ab uno Rectore, et nonnullis clericis regebatur. Ea tunc suberat ecclesiae Funchalensi in insula *Madeyra* sitae a Clemente VII. institutae, quae primum Dioecetam habuit D. *Didacum Pinheiro*, cum antea, nullo adhuc in subjugatis a rege Lusitaniae terris exsistente Episcopo, a vicario de Thomar ordinis Cisterciensis fratre militiae Christi ecclesia Funchalensis administraretur. Verum postquam a Leone X. ecclesia haec in cathedralem sub Emanuele Lusitaniae rege erecta fuit, ecclesia Goana ab illa

(1) *Un P. Domenicano fù il primo, che inalberò lo stendardo della nostra S. Fede*. Gemelli Careri, *part. III. pag.* 55. Confer Maffei *hist. Ind. lib.* 4. *pag.* 100. *lit. P.* Urbanum Cerri, *Etat présent de la Religion Rom.* pag. 187.

Funchalensi pendebat usque ad annum 1534., quo, instante Joanne III. Lusitaniae rege a Paulo III. tertio Nonas Novembris Pontificatus sui anno primo ecclesia haec S. Catharinae in urbe Goa in cathedralem erecta fuit. Vide opus inscriptum: *Bullarum collectio quibus Serenissimis Lusitaniae, Algarbiorumque regibus terrarum atque insularum ultra mare transcurrentium jus Patronatus conceditur etc. omnes ex regali archivo deductae et typis commissae jussu Petri II. Lusitaniae regis*, Ulyssipone ex typographia regia Valentini a Costa *Deslandes* anno 1707. Bulla Pauli III. *Aequum reputamus*, apud S. Petrum anno 1534. Pontif. anno I. Insulae et urbis Goae, quae Indis ഗൊവഃ *Gova* est, iconographiam aereae tabulae incisam exhibet Joannes Hugonius a *Linschoten* anno 1595. Serenissimo Principi Alberto ab Austria S. Sedis legato Cardinali tit. S. Crucis in Jerusalem dedicatam, quae exstat in septima parte Indiae Orientalis *Georgii Spilbergi*, et *Gaspari Balbi* navigationes tradente, Francofurti apud Wolfgangum Richter anno 1606. in fol. et cap. XXIII. pag. 80. *Descriptio civitatis Goa*. Sita est sub gradu latitudinis septentrionalis 15. et 31. scrup., longit. 73. grad. et 45. scrup. secundum Joannem Hamilton Moore. Confer Joannem de Barros historiae Indicae *lib. 5. cap. 8. et lib. 6. cap. 6.*

ARCHIEPISCOPI GOANI

I. Ante erectionem ecclesiae S. Catharinae in cathedralem, D. Eduardus Nunes ex ordine Praedicatorum Episcopus Laodicenus, missus a rege Emanuele in Indiam orientalem circa annum 1500., obiit anno 1528. in Azeitao.

II. D. Ferdinandus Vaqueiro ex ord. Seraphico, missus in Indiam anno 1532.

III. D. Joannes de Mello filius D. Emanuelis de Mello, et conjugis ejus Brites a Silva, consecratus anno 1532. sub titulo Episcopi urbis Goae, obiit Ulyssipone antequam classim conscenderet Goam profecturam.

IV. D. Joannes ab Albuquerque ex ord. S. Francisci, Provinciae Pietatis alumnus, anno 1537. undecima Aprilis in Episcopum Goanum assumptus; obiit Goae 28. Februarii an. 1553.

Anno 1557. postulante rege Sebastiano Paulus IV. cathedralem Goanam erexit in Metropolitanam ac Primitialem totius orientis, quae successit juri exstinctae ecclesiae Primitiali Funchalensi. Divisa insuper de mandato ejusdem Pauli IV. ab Archiepiscopo Ulyssiponensi Ferdinando Menesio de Vasconcellos de assensu ejusdem regis Sebastiani in tres partes dioecesis Goana, de qua re-

partitione infra sermo recurret. Vide Bullam Pauli III., *Aequum reputamus*, Ullyssipone anno 1707. editam, de qua supra.

V. D. Gaspar a Leone Pereira canonicus Eboranus, primus Metropolitanus Goanus et tertius ejusdem sedis Episcopus regimen nactus est anno 1560., ac primam Goanam synodum coegit an. 1567., cui praesedit D. Georgius Themudo Episcopus Coccinensis ex familia S. Dominici pro Archiepiscopo Goano Gaspare Pereira, qui se dignitate sua Archiepiscopali abdicaverat. Vide opus inscriptum: *Oriente conquistado a Jesu Christo*, Ulyssipone anno 1708. auctore *R. P. Francisco a Sousa*. Ad hanc synodum vocatus fuit Mar Joseph Archiepiscopus Serrae, sed cognito ejus schismate et erroribus haeresim Nestorii olentibus, ab ea fuit exclusus.

VI. D. Georgius Themudo Dominicanus, ex Episcopo Coccinensi Archiepiscopus Goanus anno 1568. Obiit Goae anno 1571. Vir puritate vitae et propagandae religionis studio praestantissimus. Vide *Hagiologium Lusitan.*

VII. D. Gaspar a Leone Pereira, idem qui *n.* v., cum anno 1573. renunciasset, de mandato D. Antonii Monis Barreto administri in sedem restitutus, obiit 1576.

VIII. D. Henricus de Tavora ord. Praedicatorum, ex Praesule Coccinensi Archiepiscopus Goanus, sedem adivit an. 1578. die 26. Decembris, obiit 17. Maii an. 1581. Vir insignis, cujus meminit *Hagiologium Lusitanum*.

IX. D. Vincentius a Fonseca ex ord. Praedicatorum classem conscendit anno 1583. cum exercitu maritimo ducis Antonii de Mello a Castro, Goam profecturus, ubi anno 1585. secundam synodum celebravit mense Junio; in qua synodo praesens aderat Mar Abraham Episcopus Angamalensis, D. Mathaeus a Medina ordinis militiae Christi Episcopus Coccinensis, Fr. Didacus a Conceptione alumnus S. Francisci familiae pro parte Episcopi Malacensis, aliique fere innumeri sacerdotes tam saeculares quam regulares. In hac synodo Mar Abraham Episcopus Angamalensis abjuravit errores Nestorii, eique ex gazophilacio regio Goano fuere persoluti 300. cruciati vulgo *cruzados* dicti, qua pensione sibi assignata fidem catholicam externe simulavit, ac mores catholicos finxit usque ad annum 1590., quo aperte iterum Nestorii haeresim professus est, in qua etiam obiit in oppido Angamali in Malabaria. In hac eadem synodo canones constituti fuere ad reformationem Christianorum S. Thomae, decretumque, ut aliqui Latini libri ad

eorum institutionem necessarii in vulgarem linguam Malabaricam et Syro-chaldaicam verterentur. Versa itaque in Syriacum idioma expositio in quatuor Evangelia, in Pentateucum, vitae aliquorum Sanctorum, liber unus de Sacramentis, exorgysmi S. Ambrosio attributi, liber ritualis, confessionarium, et pars catechismi Romani. Synodus haec celebrata fuit auctoritate Gregorii XIII. ad quem acta transmissa, quemadmodum transmissa fuere acta synodi primae Goanae ad Pium V. ab Archiepiscopo Goano D.Henrico de Tavora. Vid. *Oriente conquistado a J.C.* tom.2. Conquista I. *Divisao I. e II.* Item *Collectionem documentorum, statutorum, et monumentorum regiae academiae historiae Lusitanae* anno 1721. editam Ulyssipone. Ex irritis laboribus ad convertendum Mar Abraham, Mar Thomam, aliosque Nestorianos et Jacobitas saepenumero exantlatis, jam patet: quam difficilis et inconstans sit horum haereticorum conversio. Facile convertuntur gentiles, raro, aut numquam bona fide haeretici.

X. D. Matheus a Medina ordinis militiae Christi ex Episcopo Coccinensi Archiepiscopus Goanus, anno 1580. die 20. Novembris sedem per procuratorem adivit. Fama praeclarae sanctitatis conspicuus obiit 29. Julii anno 1593. Ejus meminit *tit. IV.* Hagiologium Lusitanum.

XI. D. Alexius Menezes ordinis Eremitarum S. Augustini in Indiam profectus anno 1595., ex sede Goana ad Bracharensem Primitialem Lusitaniae translatus appulit Ulyssiponem 22. Junii anno 1611. De hoc insigni viro, ejusque immensis Apostolicis laboribus in reductione Christianorum S.Thomae exantlatis, ac de synodo Odiamperitana, quam anno 1599. die 26. Junii in oppido Odiamper in Malabaria sub Clemente VIII. coegit, et absolvit, vide Joannis Facundi Raulin Caesaraugustani ordinis Eremitarum S. Augustini *historiam Ecclesiae Malabaricae cum Diamperitana Synodo apud Indos Nestorianos S. Thomae Christianos nuncupatos coacta ab* Alexio de Menezes, *Romae anno* 1745. *apud Mainardum*. Item, *Histoire du Christianisme des Indes par M. V. la Croze*, a la Haye anno 1758. tom.1. liv.2. pag.132. et seq. *Oriente Conquistado a J. C.* tom.2. conquista I. *pag.*119. et seq. *pag.*145. et seq.

XII. D. Christophorus de Sà ordinis S. Hieronymi ex Episcopo Malacensi Archiepiscops Goanus ad annum 1616. et 1619.

XIII. D. Sebastianus a S. Petro ord. Eremitarum S. Augustini ex Episcopo Meliapurensi et Coccinensi Archiepiscopus Goanus obiit an. 1629.

XIV. D. Emanuel Telles ord. Praedicatorum Archiepiscopos Goanus anno 1631. , obiit in itinere ultra promontorium *bonae spei* in celocibus praetorianis D. Antonii de Saldanha.

XV. D. Franciscus a Martyribus, ord. S. Francisci Provincialis , prosperis auspiciis appulit Goam anno 1635., obiit anno 1652.

XVI. D. Christophorus a Silveira ord. Eremitarum S. Augustini consecratus anno 1671., decessit in itinere in classi D. Joannis Correa.

XVII. D. Antonius Brandao monachus ordin. S. Bernardi , cujus erat Praepositus generalis anno 1675., venit Goam 23. Septembris eodem anno, vita cessit anno 1678. die 28. Junii.

XVIII. D. Emanuèl de Sousa de Menezes Clericus saecularis.

XIX. D. Albertus a S. Gonzalo canonicus regularis S. Augustini , ante susceptum Episcopatum Prior regii conventus S. Vincentii.

XX. D. Augustinus ab Annunciatione ord. militiae Christi , consecratus an. 1690. fato cessit Goae an. 1712.

XXI. D. Sebastianus de Andrade Pesanha Promotor S. Officii in urbe Ebora consecratus 22. Martii 1716., eodem anno Goam profectus est.

XXII. D. Ignatius a S. Teresia canonicus regularis S. Augustini, consecratus in patriarchali Ulyssiponensi 30. Martii an. 1721. quo Goam perexit.

XXIII. D. Antonius Taveira de Neiva Brum ord. militiae S. Jacobi, creatus Archiepiscopus Goanus anno 1750. die 19. Januarii, natus in castello Orta dioecesis Angra anno 1706.

XXIV. D. Franciscus ab Assumptione saeculari nomine Britto ord. Eremitarum S. Augustini natus in Mariana 22. Junii an. 1726. translatus ex Olin da ad sedem Goanam 20. Decembris an. 1773.

XXV. D. Emanuel a S. Catharina Carmelita Discalceatus natus Braccarae 26. Feb. 1727. creatus Episcopus Coccinensis 20. Julii an. 1778., translatus Goam anno 1783. die 18. Julii.

Silentio praeterivimus Episcopos et Archiepiscopos Goanos electos, qui pastorale munus recusarunt, quorum nomina videri possunt in collectione documentorum accademiae regiae Lusitanae pro elucidanda historia Lusitana, Ulyssipone anno 1721.

Archiepiscopo Goano ut Metropolitano et Orientis Primati subsunt Episcopus Coccinensis, Mailapurensis, seu S. Thomae in littore Coromandelico, Episcopus insulae Malaca, Vicariatus urbis Ormus, et oppidi Mozambique et Sofalla in me-

ridionali littore Africae, ac denique post translationem Episcopatus Angamalensis ejusque erectionem in Archiepiscopatum Cranganorensem per Paulum V. anno 1605. factam, jure novo eidem subjacet Archiepiscopus Cranganorensis in Malabaria, et in insula Macao apud Sinenses Episcopus Macaensis. Vide *Acta Congregationis Consistorialis habitae die nona Januarii anno 1606. coram Paulo V.* Item Bullam Clementis VIII., *In supremo militantis ecclesiae*, die 4. Aug. anno 1600. Pontif. anno nono; Item Bullas erectionis Episcopatuum praedictorum in opere inscripto: *Bullarum collectio* etc. *Ulyssipone* 1707., in quibus praecipitur: ut illae ecclesiae jure Metropolitico Archiepiscopo Goano subsint.

Ex his jam apertum et perspicuum est: unam Archiepiscopi Goani Metropoliticam jurisdictionem majori terrarum regionumque tractu protendi, ac longius latiusque patere, quam omnium Patriarcharum ac Episcoporum simul sumptorum totius Europae. Haec Europa in sua maxima extensione spectata numerat mille et centum leucas in longitudinem, nongentas autem in latitudinem. India sola, prout ea a promontorio *Comorino* excurrit, ac ad Boream montibus *Candahar* ac minori *Tibeto* clauditur, spatium intercludit sexcentum et quin-

quaginta leucarum, ac totidem fere et amplius leucas, prout ea ab ostiis *Indi* fluminis versus Ortum usque ad regnum *Ava* et *Aracan* cis Gangem protenditur (1). Hoc ingens spatium Metropolitano Goano, et duobus illis ab eo pendentibus Episcopis Jurepatronatus, ac ecclesiastico subjacet. Adde his totam meridionalem Africae oram, in qua per Bullam Pauli V. *In supereminenti militantis Ecclesiae Specula*, anno 1612., Pontificatus ejus anno septimo expeditam Vicariatus et episcopalis administratio de Mozambique, Mambaça, Zanzibar, Ampaza, Cabeceira, Sofalla, Senatete, et omnium fluviorum de Cuama, jure Metropolitico, ac in omnibus quae ordinis episcopalis sunt, Archiepiscopo Goano subjiciuntur, ita ut a Vicario appellatio ad illum pateat, ac ipse visitationi, correctioni, et potestati ipsius Archiepiscopi subesse debeat (2). Adjice his aliquam Persidis partem, insulam Salicam seu Ceylan, insulam Malacam, insulas Molucanas, insulam Macao, regnum Ava, Aracan, Pegu et Siam, per quae omnia juspatrona-

(1) *Recherches historiques et géographiques sur l'Inde*, par M. Anquetil du Perron, a Berlin 1786. part. II. §. 2. pag. 1. *Asiatick researches*, tom. 1. pag. 423.

(2) Descriptionem insulae *Mozambique*, fluminis *Senna*, municipii *Sofalà*, ac perexiguae insulae *Mambas*, vide apud *Gemelli Careri* part. III. cap. 8. *Dell'imperio antico, e moderno de' Portoghesi nell' indie Orient.*, p. 67. et seq.

tus et Metropoliticum extenditur ; videbisque hoc jus latissime patere , ac hos terrarum tractus sua extensione Europam longe superare . Praesenti rerum statu , et ab omni fere illo tempore , quo Lusitani e suis Indicis sedibus a Batavis et indigenis pulsi fuerant , omnia haec regna a solis duobus Episcopis Lusitanis , qui Goano Antistiti subsunt , administrantur . Jus ipsum Patronatus a Nicolao V., a Leone X., a Paulo III. a Clemente VIII. Lusitaniae regibus in haec regna et ecclesias concessum , in bullis Pontificiis non nisi ratione dotis ecclesiarum , ac Antistitum , erectionis seminariorum , manutentionis personarum ecclesiis cathedralibus et propagationi fidei inservientium , aliisque sub oneribus concessum fuit , quae si non adimpleantur , jus illud nullum et irritum esse Pontifices decrevere . *Volumus autem* , ait Clemens VIII. (1) , *ac eisdem auctoritate et tenore declaramus* , *quod in defectum assignationis* , *vel solutionis dicti redditus annui* (quingentorum cruciatorum Episcopo Angamalensi de camera regia persolvendorum) , *ut praemittitur* , *faciendae* , *reservatio* , *et concessio Juris Patronatus hujusmodi nullius roboris* , *vel momenti sint* , *ac esse censeantur* , *nec Philippo* , *et pro tempore exsistenti regi amplius suffragentur* . Cum igi-

(1) In Bulla , *In supremo militantis Ecclesiae solio* , Rom. 4. August. anno 1600. Pontif. anno IX.

tur pastoralis solicitudo duorum aut trium Antistitum in tot et tanta regna aegre protendatur, ac innumeris animabus sive conversis, sive convertendis spectata regionum extensione et longinquitate haud succurrere queat; cum majori tempore illae Antistitum sedes vacent, et pastorali praesentia destituantur; cum jurisdictio horum Praesulum ab Anglis et Batavis, qui Lusitanorum arces, oppida, et municipia Indica occuparunt, quotidianis obstaculis impediatur; cum in iis provinciis, ac ecclesiis, in quibus Juspatronatus regi Lusitaniae concessum fuit, nulla sit nunc Lusitanis temporalis auctoritas et dominium; cum illae ecclesiae, antistites, clerici, seminaria nullis annuis gaudeant redditibus assignàtis, neque ecclesiae illae nunc ad normam litterarum Apostolicarum administrentur, ut quisque facile perspicere potest; mirum sane cuique videri debet: quomodo Praesules illi Lusitani tam acri studio juspatronatus in extinctis illis, et ab eorum temporali imperio avulsis ecclesiis tueantur, ac ab eis Vicarios Apostolicos et Missionarios non Lusitanos expellere adlaborent (1). Hoc igitur est dilatatae et in illis partibus dilatandae Catholicae reli-

(1) Videsis, *Etat present de l'Eglise Romaine, ecrit pour l'usage du Pape Innocent. XI. par M. Urbain Cerri* pag. 187. art. *Goa*. Amsterdam 1726.

gionis primum impedimentum ; quod Episcopi illi Lusitani, ac cum primis Antistites Goani cum Vicariis Apostolicis et Missionariis, qui Roma et ex Galliis ad Orientis plagas mittuntur, nec amice nec ex consensu agant; et cum ipsi vastissimis illis regionibus fidei pabulum administrare nequeant, alios ab illis arcere, lites movere, ac inde expellere adlaborent (1). Allatis a nobis rationibus adducti Pontifices Romani, quorum praecipue interest, religionem Catholicam secundum Domini praeceptum in universo orbe propagare, pulsis e suis Indicis sedibus Lusitanis, Vicarios Apostolicos instituerunt, qui neglecti, aut quoquo modo spirituali pabulo destituti dominici gregis curam haberent etiam in illis terris, quae jure Metropolitico aut jurepatronatus olim Antistitibus Lusitanis subjectae fuerant, et a quibus ipsi nunc exules longe commorantur.

Ne vero Lusitani Episcopi Vicarios et Apostolicos praecones vexarent, ac persequerentur; jam anno 1573. 10. Novembris Clemens X. Archiepiscopo, et Capitulo Goano sub gravibus poenis pro-

(1) Hodiedum Lusitani exigunt juramentum fidelitatis ab Indicis Vicariis et Missionariis Apostolicis; quasi aequum esset juramentum fidelitatis praestare pro iis regnis et provinciis Indiae, in quibus reges indigenae Pagani, Batavi et Angli jure naturali vel aquisito imperant, et in quibus Lusitani ne quidem pugillum terrae possident.

hibuit, ne aliquem potestatis suae actum exerceant extra dominium et ditiones regi Lusitaniae subjectas, neve jurisdictionem Vicariorum Apostolicorum impediant. Idem Clemens X. Vicarios hos eorumque Missionarios a jurisdictione inquisitionis Goanae eximit eodem anno et die, ac demum anno 1673. 22. Decembris, et anno 1674. 7. Junii declarat: Episcopos Lusitanos nullam habere jurisdictionem in Vicarios Apostolicos eorumque Missionarios in India, sed praecipue in iis locis degentes, ubi rex Portugalliae nullum nunc possidet actuale jus temporale et dominium. Denique anno 1680. 31. Martii Pontifex per Breve respondit querelis regis Lusitaniae, qui credebat, Missiones Indicas juripatronatus sibi olim concesso obesse, ac inde aliquod praejudicium pati. Haec Brevia Apostolica, quae heic recensuimus, omnia exstant in tabulariis S. Congregationis de Propaganda Fide, quae ego hoc anno 1793. die 2. Augusti ex elencho descripsi. Aeternae et infinitae sint Deo optimo Maximo gratiae, quod per Lusitanorum arma Catholicae religioni in Indiam aditum aperuerit, ac per strenuos et illustres viros Praesules Goanos Goae, in insula Salsette, in regno Canara, in Malabaride, ac insula Salica eamdem propagaverit. Sed idem faxit Deus et Pater D.N.J.,

ut vexationes, persecutiones, ac lites, quas hi Antistites usque ad hanc diem contra Vicarios Apostolicos, eorumque Missionarios excitant, tandem aliquando conquiescant, atque illi omni ambitione, dominandi cupidine, et veteribus praejudiciis exsoluti, forma facti gregis ex animo, unam Dei gloriam, et salutem animarum una cum Vicariis Apostolicis amice procurent. Adest Goae capitulum, plurimae parocciae, unum monasterium fratrum ordinis S. Augustini, duo conventus fratrum Praedicatorum, duae aedes fratrum Observantium ordinis S. Francisci, una Clericorum regularium congregationis S. Philippi Nerii, una fratrum Carmelitarum Discalceatorum indigenarum tertii ordinis, una Monialium ad S. Monicam, denique circiter bis mille Sacerdotes et Clerici, quorum plures mercimoniis intenti, quaestu et lucro ad curas seculares declinant (1). Quare contra varios horum

(1) Ecclesias urbis *Goae* accurate describit Gemelli Careri *pag.* 64. *in opere cit.* Uni nomen est *Madre de Deos*, quam administrant PP. Reformati S. Francisci, altera PP. Praedicatorum terno fornice et duodecim lateratibus columnis instructa est. Ad *S. Rochum* amplissimum PP. Jesuitarum collegium extabat, capax 70. virorum. Ad *S. Monicam* crux prostat miraculis clara, in eaque ecclesia supremum diem obiit venerabilis soror *Maria a Jesu* virtutibus et dono miraculorum insignis. Ad *S. Paulum* primam PP. S. J. ecclesiam, a qua ipsi in India *Paulistae* dicti, duae extant arbores *Manga* seu *Mangueira* dictae, quas ibidem conserere cu-

abusus jam anno 1658. die 18. Januarii Alexander VII. per Breve Apostolicum invectus est; quod reformationis decretum contra eosdem abusus anno 1669. die 13. Septembris Clemens IX. extendit, et confirmavit. Vide *Bullaria* in tabulariis S. Congregationis de Propaganda Fide *ad hunc annum*. Confer, *Viaggio all' Indie Orientali del P. Vincenzo Maria di S. Caterina da Siena*, Roma, 1672. lib. v. cap. IV. pag. 425. *Descrizione dell' Isola di Goa*. Petrum Texeira *in relatione Persica*. Insula et urbs Goa olim pars erat regni *Visapour*, quam an. 1508. *Alphonsus Albuquerque* armis aggressus est, et debellato *Ismaele Adelkhan* anno 1510. avulsit. Vide, *Canon Chronologique des Souverains des principaux Etats de la Presqu' ile de l' Inde, depuis la fin du quinzieme siecle* ad pag. 222. tom. I. libri inscripti, *Recherches historiques et géographiques sur l' Inde*, par M. Anquetil du Perron, *a Berlin*. Nievhofs, *Zee-en Landreize door Verscheide Gevvester Van Oostindien*, Philippum Baldacum, *Wahrhafte ausfuhrliche Beschreibung der Ostindischen Kusten Malabar und Coromandel*, Raynal, *Storia moderna dell' India*, tom. 3. pag. 239. Firenze 1780.

ravit ipse S. Franciscus Xaverius. Adest praeterea ecclesia PP. ord. S. Augustini, Teatinorum, Crucis miraculis clarae, S. Thomae Apostoli, S. Bonaventurae, et B. M. V. de Monte Carmelo.

VICARIATUS APOSTOLICUS

REGNORUM MAGNI MOGOLIS, ADELKHAN, ET GOLCONDAE.

Extenditur imperium magni *Mogolis* cumprimis a gradu 15. laritudinis Septentrionalis usque ad gradum 35., intra 85. et 95. longitudinis. Vide, De l' Isle, *Carte des Indes et de la Chine*, *a Paris* 1781. Totum hoc imperium in varias provincias divisum, variis hodie Principibus partim Muhamedanis, partim idololatris servit. Regnum *Adelkhan*, vetus *Visapourense* Marattis genti bellicosae; regnum *Golcondae*, sub gradu 15. et 20. m. situm, incertis Tyrannis, qui mutuo se se expellunt, subjectum est. In hoc regno circa annum 1640. aderat sufficiens numerus Clericorum regularium Theatinorum, qui primi in eo regno fidem Catholicam annunciarunt. Missio haec pedetentim decrescente numero religiosorum, ob summas asperitates cum Goano conventu suo communicandi desiit, eisque successere aliqui Societatis Jesu alumni, qui itidem variis fatis dispersi periere. In urbe *Tatta* olim commeatibus mercatorum nobili emporio, non longe a faucibus *Indi* seu സിന്ധു *Sindhu* fluminis sito, extabat Carmelitarum Discalceatorum hospitium anno 1615. erectum, in quo ecclesiae conjuncto Pa-

tres per multos annos advenis et indigenis Catholicis sacramenta administrabant (1) . Verum cum Lusitani inde pulsi , in varias partes elabi coge-

(1) Missioni huic anno 1615. fundamenta jecit Ven. P. Joannes e Jesu Maria , qui P. Petrum Franciscum in urbem *Tatta* miserat. Facultas extruendi hospitii concessa fuit a rege illius provinciae viro gentili . Vide *Historiam generalem fratrum discalc.ord.B.M.V. de monte Carmelo* , tom.1. pag.361. et seq., Romae typis Mancini 1668. Item *Etat present* etc. pag. 177. In ipsa urbe *Goa* hoc eodem anno 1616. constructa fuit insignis aedes B. V. M. de monte Carmelo sacra a P. Leandro ab Annunciatione , qui primus fundamenta jecit Goano Carmelitarum Dicalceatorum Italorum conventui , in quo ad institutum Carmeliticum , ac ad missiones Apostolicas tyrocinium extabat . Sed non diu Carmelitae Itali et Germani inter Lusitanos incolumes esse poterant . Postulabatur ab iis fidelitatis juramentum ; ipsos utpote a S. Congr. de Prop. Fide missos, Juripationatus Lusitano oppositos , neque in ditionibus Lusitanis tolerandos esse , multi eorumaemuli et hostes clamitabant . Quare anno 1709. die 3. Aprilis multis falsis rationibus inductus Joannes V. rex Portugalliae litteris ad Proregem et Archiepiscopum Goanum D. Augustinum ab Annunciatione datis , XVI. Novembris ecclesiam illam et conventum PP. Congregstionis S.Philippi Nerii indigenis Goanis extrudidit . Ita pariter in urbe *Diu* hospitium PP. Carmelitarnm Italorum , quod anno 1633. constructum fuerat, eodem regio diplomate fratribus instituti S. Joannis de Deo cessit . Anno 1712. , ut ex tabulariis S. Cong. de Propag. Fide constat , rex Portugalliae hanc concessionem litteris Apostolicis confirmari peroptabat , sed Pontifex non annuit , quin immo datis ad eum litteris irritam esse declaravit . Verum nec hac auctoritate PP. Carmelitae restituti fuerunt . De missionibus Angolae , Alepi , Tripolis Syriae, Mardini , Babyloniae , Aspahani Ormus, Bassorae , Sciras , Giulphae PP. Carmelitis addictis vide hist. generalem cit. *tom.* 2. *pag.*35. 373. et *tom.* 1. *pag.* 361. *et seq.* P. le Quien , *Oriens Christ.* tom. 3. pag. 1390. *edit. Paris.* Ignatium a Jesu , Philippum a SS. Trinitate , Urbanum Cerri *lib.cit.* P.Leandrum a S. Caecilia .

rentur, atque ipsum urbis commercium per novam rerum vicissitudinem in alia loca transferretur, etiam hoc hospitium paullatim interiit. Jam diximus, religionis exercitium per commercium propagari; quo migrante, migrat religio. In urbe *Suratte*, non procul ab antiqua Plinii, Strabonis et Arriani urbe *Barygaza*, hodie *Baroche* dicta, dissita, domum Missionis construxerant PP. Capuccini, et haec hodiedum superstes est. Data ab Alphonso VI. Lusitaniae rege Catharina sorore sua in conjugem Carolo II. Britaniae regi, insula *Bombaim* prius Lusitanis subjecta, in dotem Catharinae concessa, ad Anglos transiit, qui inita possessione insulae, pulsis PP. Franciscanis et Clericis Goanis regi Lusitaniae subditis, acciverunt Carmelitas Discalceatos Italos et Germanos S. Congregationi de Propaganda fide subjectos, qui a rege Lusitaniae et ab Antistite Goano nullatenus penderent (1). In ipsa urbe Suratte aedes Carmelitis Discalceatis concessa fuit, qui Anglorum in ea degentium familiaribus Sacramenta administrarent. Altera dein missionis domus in portu *Carovar* stabilita fuit, in qua itidem unus Carmelita versatur. In urbe *Agra* olim

(1) Urbs Suratte in lingua Marastica *Surbathu Xara*, insula Salsette *Sasbattha Zangirà*, urbs Bombay *Mumbbay Xara* dicitur. Vide de his urbibus Gemelli Careri *pag.* 20. 25. 32. 44., Sonnerat, et alios.

Jesuitae, nunc unus Carmelita superstitibus illis Catholicis praeest. In regno *Visapour* seu *Adelkhan* Clerici congregationis S. Philippi Nerii, indigenae Indi *Brahmanes* dicti, fidei dogmata promulgabant (1). Hi instituti fuerant ab Indo suae tribus, qui Episcopus *Crispolitanus* creatus fuit, atque Romae obiit in collegio S. Congr. de Prop. Fide, primus horum regnorum Vicarius Apostolicus (2).

(1) In urbe *Daman* Lusitanis subjecta, quam Martinus Alphonsus de Sousa anno 1535. subegit, olim PP. S. J., PP. Franciscani Reformati, et Augustiniani Indos evangelica luce illustraverant. In oppido *Trapur* insigni Lusitanorum municipio alumni S. Dominici et S. Francisci orthodoxam fidem conseruerant. In *Bassain* nobili emporio, quod Marastica lingua *Vasaym Xara* compellatur, S. Mariae de Misericordia urbis paroecia, S. Mariae de Sede, denique ecclesiae PP. Franciscanorum, PP. Praedicatorum, PP. Augustinensium, et fratrum instituti S. Joannis de Deo extabant. Hanc insignem urbem, quae nunc Anglis subest, D. Nunno de Cunha anno 1535. *Babadùr* regi *Cambajae* ereptam Joanni Lusitaniae regi subjecit. Eadem religionis ratio et institutum Catholicum obtinuit, et hodiedum obtinet in insula *Salsette*, uno tantum incili aqua referto ab urbe *Bombay* disjuncta. Confer de his urbibus et religionis rebus Gemelli Careri, *III. part. Itiner. pag.* 24.25. *et seq.*, qui haec omnia aliis accuratius et diligentius perscripsit. Christiani horum locorum plerique hortos incolunt, palmis *Coco* dictis, arboribus *Mangueira* seu *Mava*, aliisque Indicis frugiferis arbustis consitos. Vitam ducunt otio deditam, et ob placidam aeris temperiem satis mollem.

(2) Urbanus Cerri, *Etat present* etc. pag. 178.

VICARII APOSTOLICI

REGNORUM MAGNI MOGOLIS

II. Anno 1669. die 30. Aprilis creatus Episcopus Hierapolitanus et Vicarius Apostolicus magni Mogolis, Adelkhan, et Golcondae D. Custodius de Pigno (Pinho), Brahman Indus, alumnus S. Congreg. de Prop. Fide.

III. Anno 1696. die 20. Septembris D. Petrus Paulus a S. Francisco Carmelita Discalceatus, olim Malabariae Missionarius, Archiepiscopus Ancyrae, Vicarius Apostol. magni Mogolis, obiit in urbe Suratte in India anno 1700. die 4. Januarii (1). Natus

(1) *Suratte* hodie nobilissimum Indiae emporium, et omnis generis mercibus refertissima urbs, hunc suum splendorem ad occasum et perniciem suam vergenti veteri *Barygazae*, hodie *Barochc* dictae, debet. Agatharchides, qui 180. annis ante Christum natum vixit, *Alexandrum M. juxta Indum amnem navale instituisse* scribit. Vide *pag. 66. in Periplo maris Erythraei edit. Oxon.* Ab Indo amne maris litora legendo naves Graecanicae ad sinum *Barigazenum* hodie sinum *Cambayae* dictum, in urbem *Barigazam* in hoc sinu sitam procedebant, in qua, ut *Arrianus* in Periplo refert, suo adhuc tempore numi graeci obtinebant. *Quamobrem* ait ipse, *ad haec usque tempora in Barygazis antiquae drachmae reperiuntur Graecis sculptae litteris cum insignibus Apollodori et Menandri, qui post Alexandri obitum ibi rerum fuerunt potiti. In hoc emporium maxima ex parte deportatur vinum Italicum, Laodicenum, et Arabicum, aes, stannum, plumbum, corallium, chrysolitus, vestis omnis generis* etc. At postquam navium numerus, structura et moles accrevit, valde incommodum nautae nacti sunt ad urbem accessum; ea enim quindecim circiter millia passuum a mari angusto satis flumini assidet, quod flumen non nisi

Neapoli anno 1643. primogenitus et haeres Ducatus S. Eliae ex patre et familia *Palma*, matre D. *Pignatella*, Innocentii XI. Papae sorore. Institutum Carmeliticum professus est anno 1673. die 30. Maii, in Malabariam venit an. 1678., ubi cum 300. circiter gentiles Malabarenses ad fidem Catholicam traduxisset, Romam ad capitulum generale, quod anno 1689. celebratum fuit, profectus est, ubi eo cumprimis adlaborante missio Mogolitana Carmelitarum Discalceatorum anno 1789. a S. Cong. de Prop. fide erecta et stabilita fuit. Ejusdem primus Commissarius Apostolicus constitutus, iter per Poloniam, Moscoviam, et mare Caspium arripuit, cum metu Lusitanorum, qui ei adventuro exilium intentabant ob novam Missionis erectionem, per Lusitaniam iu Indiam trajicere non

accrescente maris periodico fluxu simul accrescens, ad urbem navibus accessum praebet. Quare emporium hoc pedetentim minus frequentari et merces Indicae ex urbe *Amadabat* in oppidum *Suratte*, Barygaza x. millia pass. distans, convehi inceperunt: ex qua convectione omnis Suratensis urbis gloria et opulentia exorta est. Itaque ex *Barygaza* vetus Indica procedebat navigatio, atque inde portus et litus Malabaricum legendo, sequebatur Barace seu *Barcelor*, Calianam, seu *Calian apuri*, Mangaruth seu *Mangalur*, Palaepatna seu *Baliapatna*, et Coliam, Collidem, Colon vetus seu *Covalam* promontorio Comorino assidens. Hoc iter pariter veteres et recentes verbi Dei praecones tenebant. Confer Plinium *hist. nat. lib. 6. cap. 22. et 23.*, Julii Solini *Indicum itinerarium cap. 67. pag. 326. 328.*, Arrianum in *Periplo*, Cellarium, Spilbergi et Balbi navigationes, Gemellium, Sonnerat, et P. Vincent. a S. Catharina *lib. 1. cap. 36. Della Città di Suratte*.

posset ; creatus anno 1696. ut supra ; Archiepiscopus Ancyranus et Vic. Apost., in urbe Suratte epistolam pastoralem vulgavit, Romae typis editam, qua vicarios suos strenuos Missionarios ad opus Evangelii ardenter amplectendum exhortatus est. Ejus corpus conditum fuit Suratte in ecclesia PP. Cappucinorum, exantlatis vitae annis 58., missionis 22., Episcopatus 3. Venit Surattum anno 1699. impensis fere 3. annis perarduo itineri (1).

IV. Anno 1704. die 12. Aprilis, D. Petrus de Alcantara a S. Teresia Carmelita Discalceatus electus Episcopus Sicopolitanus, Vicarius Apost. successit Petro Paulo, decessit anno 1707.

V. Anno 1708. die 12. Maii, D. Mauritius a S. Teresia Carmelita Discalceatus, Episcopus Anastasiopolitanus, Vicarius Apost. magni Mogolis, decessit an. 1726. Cum anno 1713. in Missione Malabaridis in dioecesi Angamalensi periculum adesset, ne Christiani S. Thomae nuncupati post obitum D. Robeiro Archiepiscopi Cranganorensis, et decessum etiam D. Angeli Francisci Angamalensis et Coccinensis dioecesis Vicarii Apostolici, ob defectum collationis SS. ordinum ad Mar Gabrielem Episcopum Nestorianum deflecterent, D. Mauritius

(1) P. Eusebii ab OO. SS. *Enchyridion chronologicum Carm. Disc.* Romae, 1738. apud Bernabò, et variae schedae missionis Verapolitanae.

ex *Caroar* in Malabariam a PP. Carmelitis Discalceatis Missionariis accitus Verapulim appulit anno 1713. mense Martio, unde, collatis ordinibus et rebus Christianitatis compositis, mense Novembri Bombainum contendit. In hac Bombaynensi insula Parochi indigenae Goani jure municipali Anglis subjecti, nec scholas, nec seminaria ad erudiendam juventutem possidebant, clericos Bombaynenses indigenas Goam per mare ad recipiendos SS. ordines mittebant, ubi ut ipsi testabantur, non nisi data pecunia, iis conferebantur. Ob has aliasque rationes D. Mauritius, pulsis ex Bombayno parochis Goanis, ab Anglis in insulam vocatus, eam adivit, et ibi sedem fixit. Eum secuti fuere alii Carmelitae Discalceati Itali et Germani, qui ad hanc usque diem in ea insula Sacramenta administrant. Qua de re vehementer questus est anno 1791. die 15. Octobris D. Emanuel a S. Catharina Archiepiscopus Goanus Lusitanus epistola ad Summum Pontificem Pium VI. scripta. Haec querimonia enata fuit ex eo, quod anno 1791. die 1. Septembris publico Anglorum decreto regimen spirituale PP. Carmelitis S. Congreg. de Prop. Fide Missionariis iterum adscriptum fuerit. Obiit D. Mauritius Suratte anno 1726. Vide de eo *Enchyridion* P. Eusebii.

VI. Anno 1723. die 17. Februarii D. Innocentius a S. Leopoldo Carmelita Discalceatns, Malabariae Missionarius, electus Episcopus Agatonicensis, Vicarius Apostolicus, et condjutor D. Mauritii. Renuntiavit, neque consecrari voluit. Obiit in Malabaria anno 1735. die 31. Octobris. Natus in Hungaria anno 1681. die 25. Augusti ex illustri comitum de *Kollonitz* familia, fratrem germanum habuit D. Kollonitz Archiepiscopum Viennensem et S.R.E. Cardinalem. Vir erat caritate in pauperes insignis, in confessionibus audiendis assiduus, erga Cathecumenos suavis et liberalis, Malabariae Principibus acceptus, vitae sanctimonia praeclarus. Suo aere domum Mangatensem pro studio linguae Malabaricae fundavit, Verapolitanam et Mattincerensem auxit, cathecumenis pauperibus alendis annum redditum centum florenorum Viennae assignavit, qui ad tempora usque Josephi II. Imperatoris percipiebatur. Corpus ejus conditum fuit Verapoli in Malabaria.

VII. Anno 1728. die 3. Febr. Petrus de Alcantare a SS. Trinitate, Carmelita Discalceatus, Episcopus Areopolitanus Vicarius Apostol. in locum R. P. Innocentii suffectus. Prov. Pedemontanae alumnus.

VIII. Anno 1746. die 19. Januarii, Innocentius a Praesentatione Carmelita Discalcatus Episcopus Aureliopolitanus, coadjutor Vicarii Apost. Malabariae, Bombaynum translatus. Obiit in Caroar. Provinciae Coloniensis alumnus. Consecratus Verapoli anno 1746. die 14. Aug.

IX. Anno 1755. die 1. Septembris, Sebastianus a S. Margarita Carmelita Discalceatus, Episcopus Aspahamensis in Perside, Vicarius Apost. magni Mogolis constitutus, dum ob persecutionem infidelium extra suam dioecesim versatur.

X. Anno 1755. die 15. Junii, Joannes Dominicus a SS. Trinitate, Carmelita Discalceatus, Episcopus Asuritanus, Vicarius Apost., obiit in Caroar.

XI. Anno 1773. die 15. Maii, Carolus a S. Conrado, Carmel. Disc. Episcopus Calamensis, electus jam anno 1764. die 14. Septembris coadjutor Vicarii Apost. Malabariae, Bombaynum translatus fuit; ubi plenus meritis, moribus suavis, candore animi, zelo fidei, et promovendae ecclesiasticae disciplinae ardore praestantissimus, postquam Vicariatum Apostolicum Malabariae, ut Commissarius Apost. administrasset, ad Mogolitanum redux pie in Domino decessit die 6. Januarii anno 1785. Erat Tridentinus, Provinciae Romanae alumnus.

XII. Anno 1785. die 12. Aug., Angelinus a S. Joseph Carmelita Disc. Episcopus Anthedonensis, Vic. Apost., Ulyssipone consecratus decessit in itinere in navi Lusitana Bombaynum redux 1786. Alumnus Provinciae Viennensis in Austria. Vir probus, et religionis zelotes, insulae Bombaynensis prius Missionarius Apost.

XIII. Anno 1787. die 9. Novemb. Victorius a S. Maria Carmelita Disc. Episcopus Gabalensis, magni Mogolis Missionarius et Vicarius Apost. vivit. Alumnus Prov. Romanae. Consecratus fuit Verapoli in Malabaria anno 1789. die 8. Februarii. Jam supra meminimus hanc seriem et epochas me ex tabulariis S. Congreg. de Prop. Fide descripsisse, quare multi errores qui in privata aliorum manuscripta irrepserant, ex his nostris corrigendi et emendandi sunt.

Ecclesiae, quas Vicarius Apostolicus magni Mogolis, Adelkhan seu Regni Visapour et Golcondae cum sociis et cooperatoribus suis Missionariis Apostolicis in insula *Bombayn* administrat, sunt: in urbe *Bombayn* oratorium B. V. M. de monte Carmelo pro advenis et indigenis urbis incolis. 2. Ecclesia S. Mariae de Spe. 3. S. Mariae a Salvatione. 4. *Mayni*, S. Michaelis. 5. in *Morsegon*, S. Mariae de Gloria. 6. *Caravari*, seu in Caroar in pro-

vincia Sundae. 7. *Suratti*, oratorium, et hospitium cum ecclesia PP. Cappuccinorum. 8. Oratorium in urbe *Agra*.

Ecclesiae littoris Malabarici a flumine Indo usque ad urbem *Cannanúr* versus meridiem, in quo tractu Archiepiscopus Goanus plenam et immediatam exercet jurisdictionem, sunt: *Diu* urbs ad ostia Indi sita non procul ab urbe *Tatta*, ex qua reliquiae Christianitatis in urbem *Diu* confluxerant. 2. *Daman*, ecclesia PP. Recollectorum S. Francisci. 3. *Tarrapour*, et *Bassain*, ecclesiae PP. Praedicatorum. 4. *Tana*, in urbe nunc Anglis subjecta, in quam jurisdictio spiritualis cessit Vicario Apostolico. 5. *Chaul*, ecclesia PP. Recollectorum. 6. In insula *Goa*, *Bardes* et *Salsette* variae ecclesiae. 7. In ostio *Cumutta*, oratorium. 8. Ad ostia fluminis urbis *Onor*, in *Chandor* ecclesia S. Francisci; *Onor*, S. Salvatoris; *Gullamana*, oratorium. 9. Ad ostia urbis *Barcelor*, S. Mariae a Rosario; in *Gangoli*, S. Mariae ab immaculata Conceptione; in *Beddrur* nobili municipio una leuca et plusquam dimidia a *Barcelor* intra mediterranea distante, S. Mariae ab immaculata Conceptione. 10. Ad ostia *Bacanor* in *Caliánapuri*, aliis *Calianapur*, S. Mariae a Rosario; et in mediterraneis in *Sirvao*, S. Mariae a Salute; in *Quirem*, S. Mariae a

Remediis. 11. Ad ostia fluminis *Mangalor*, S. Mariae a Rosario; *Alar* S. Mariae a Miraculis; *Omunzur*, Jesu, Mariae, Joseph; et ultra intus in *Bantual* ecclesia Boni Jesu. In *Olalla*, Matris a Misericordia; in *Mogornada*, Matris Dei, et ad litus maris extra limites regni *Canara*, in *Cannanur* Malabariae oppido, ecclesia olim PP. Franciscanis subjecta. Plures harum ecclesiarum bellorum et temporum injuria eversae fuerunt, aliquae vero debellato ab Anglis immani illo Tyranno Nababo Tipu Sultano an. 1793. iterum restitutae sunt, quod Bombaynensium, ac Verapolitanorum Missionariorum litterae ad me datae annunciant. De his ecclesiis agunt codices manuscripti missionis Mahenensis et Verapolitanae; P. Vincentius a S. Catharina in op. sup. cit. *lib.* v. *cap.* 1. *pag.* 415. *et seq.* Itinerarium P. Joseph a S. Maria, *Prima spedizione all' Indie Orientali*, Roma, 1666. *Oriente conquistado a J. C.*, *Urbanus Cerri*, Anquetil du Perron in Zend-Avesta *tom.* 1. *Disc. prel. pag.* cxciv. *et pag.* ccix., *ac seq.* Niebuhr (1), qui de PP. Carmelitis Missionariis Bombaynensibus queritur: quod numquam Brahmanes, sed vilia tantum mancipia gentilica ad fidem catholicam ttaducant, et sacro lavacro expient.

(1) Niebuhr, Reisebeschreibung, *tom.* 2. *pag.* 15. in Kopenhagen an. 1778.

Cur Brahmanum conversio difficilis sit èt rara, nos jam tradidimus in alio nostro opere (1). Nihil interest, an nigri, an albi hominis anima ad Christi fidem perducatur, nihil interest, si mancipium nobili quoad aeternam salutem praeferatur. Christus primo pauperibus regnum Dei praedicavit, et hi nobilibus illi assequendo plus idonei sunt. In urbe mercatorum commeatibus referta pauci Brahmanes, iique generationis reprobae versari solent, qui fidei sacramentum studiose evitant; videat Niebuhr, quot Brahmanes ad fidem Lutheranam traduxerint in urbe *Tranquebar* Missionarii Dani, elevet oculos in regnum Canara, in mediterranea Malabaridis, in regnum Maissur, Maduré, Tanjaur, videbitque, non deesse Brahmanes gentiles ad fidem Catholicam conversos, ac tunc si quid est reliquum, proponat. In insula *Salica*, seu *Ceilan* in urbe *Jafnapatam*, *Colombo*, et promontorio *Galles* clerici Goani congr. S. Philippi Nerii, qui Antistiti Goano immediate subsunt, Sacramenta administrant; nequeunt tamen vestem clericalem induti Batavorum urbes, et municipia ingredi (2).

(1) *Musei Borgiani cod. ms. Avenses, Peguani, Siamici, Malabarici, Indostani.* Romae 1793. *pag.* 19. 20.

(2) Insula *Ceilan* vel *Seilan* Cosmae Aegiptio monacho Σιελεδίβα in sua Topographia Christiana, plurimos olim numerabat Christia-

ECCLESIA ANGAMALENSIS

SEU GRANGANORENSIS.

Ex Bulla divisionis, et assignationis dioecesium Angamalensis, et Coccinensis a Paulo V. an. 1609. die 3. Decembris data, ac D. Alexio de Menezes Metropolitano Goensi commissa, ut ipse adhibitis arbitris eam exequatur, quod anno 1610. die 22. Decembris litteris suis ad Angamalensem, et Coccinensem Antistitem datis praestitit, jurisdictio Goana desinit in urbe *Cannanúr*; et in insula perexigua Termapatam, id est, ധൎമ്മപട്ടം *Dhermapatnam* dicta, quae tribus fere leucis ab urbe *Cannanúr* distat, versus meridiem et ortum excurrendo

nos, ait enim ipse: *In Taprobana insula ad interiorem Indiam, ubi Indicum pelagus extat, Ecclesia Christianorum habetur, ubi Clerici et fideles reperiuntur*. Porro *duiba* Samscrdamice est *insula*, adjice nomen *Seilan* vel *Sielen*, erit *Seilanduiba* vel Cosmae *Sielendiba*. Haec eadem est veterum *Taprobana* promonitorio Comorino seu Colaico opposita, quadridui navigatione litora legendo ab eo distans, ut recte tradit Plinius *hist. nat. lib.* VI. *cap* 23., et Ptolemaeus *lib.* 7 *cap.* 3. *pag.* 97 ait: *Cory* (id est *Comari* unde *Comorin*) *Indiae promontorio opponitur promontorium insulae Taprobanes, quae diu ante Simundi* (aliis Pale simundi) *dicebatur, nunc autem Salica*. Quare explodi meretur sententia Andreae Corsali, Maximiliani Transilvani, Barthemae, Caspari Barreyros, et Pigafettae, qui Taprobanam insulam esse *Sumetram* existimant. Vide Renaudotium *lib. sup. citat. pag.* 235., Dodwellum *in Dissert. ad Arriani Peripium*, et de Seilanensibus Christianis multa in vita S. Francisci Xaverii auctore P. Lucena *lib.* 2. *cap.* 18. 19. *et* 20. *pag.* 97. *et seq.*

sis . Sita est urbs *Cannanur* , quod alii corrupte, *Cananor* scribunt, sub gradu lat. Sept. 11. et 51. scrup., Coccinum urbs sub gradu 9. et 57. scrup., a qua 5. leucis versus Boream distat oppidum et arx Cranganor, Malabarensibus കൊടുങ്ങല്ലൂര് *Codungnalúr* dicta; ex quo vocabulo Lusitani corrupte dictionem *Cranganor* produxerunt. Septem leucis Coccino ad Borrapeliotem (Nord Est) situm est oppidum *Angamáli*, Christianis S. Thomae nuncupatis refertissimum, in quo tres ecclesiae numerantur . Tota dioecesis amplissima regibus gentilicis paret, et Christiani omnes vicatim inter idololatras, et Muhamedanas versantur. Defuncto ejus ultimo Episcopo Mar-Abraham Nestoriano Syrochaldaeo Praesule, reductisque per D. Menezium ac ejus laboris socios PP. Societatis Jesu Christianis S. Thomae ad unitatem Ecclesiae Romanae anno 1599., Clemens VIII. anno 1600. die 4. Augusti ecclesiam et episcopatum Angamalensem subjecit Metropolitano Goano et regi Portugalliae, quem anno praecedenti 1599. die 20. Decembris ex Archiepiscopatu in Episcopatum jam reduxerat . Verum Paulus V. ut Christianos Thomaeos nuper in synodo Odiamperitana abjuratis Nestorii erroribus, Catholicam fidem professos, Romanae Ecclesiae arincipit dioecesis Angamalensis seu Cranganoren-

ctius uniret, anno 1605. Episcopatum Angamalensem, qui capitulo et redditibus carebat, avulsa a Coccinensi dioecesi Cranganorensi parochia, in oppidum *Cranganor*, seu *Codungnalur* transtulit, et suppresso Angamalensi episcopatu Archiepiscopatum Cranganorensem instituit; cui decreto cum Episcopus Coccinensis cum nonnullis Angamalensis sedis oeconomis obstitisset, idem Paulus V. anno 1609. die 3. Decembris per Bullam, *Cum nobis notum esset*, avulsionem illam et translationem, novique Archiepiscopatus Cranganorensis institutionem confirmavit. Decreti executio, atque Cranganorensis dioecesis definitio et limitatio D. Alexio Menezes commissa, qui sub poena ingressus ecclesiae, et quatuor mille aureorum Apostolicae sedi addictorum praecipit, ut Angamalensis et Coccinensis antistes a se factae dioecesium divisioni, et definitioni in tabula descriptae aquiescant, eamque exequantur. Eamdem divisionis, limitationis et assignationis dioecesium tabulam annis 1611., et 1616. observari jussit Episcopus Salentinus pro Illustrissimo ac Reverendissimo D. Alexio Menezes Goanae ecclesiae Gubernator, et Christophorus Archiepiscopus Goanus Menezii successor. Denique idem Paulus V. anno 1616. die 5. Septembris Archiepiscopo Goano pro tempore existenti tribuit

facultatem deputandi administratorem ad Archiepiscopatum Cranganorensem, quando ea sedes vacat, et quousque proprio caret capitulo, quod numquam ibidem erectum fuit. Eamdem facultatem Pontifex extendit ad Malacensem. Vide in tabulariis S. Cong. de Prop. Fide Brev. *tom.* 1. *pag.* 149. *et alibi*, Bullarum collectionem, Ulyssipone *ex typographia regia*, anno 1707.

ARCHIEPISCOPI CRANGANORENSES

I. **D.** Franciscus Roz Societatis Jesu, Catalanus, Menezii in reductione Christianorum socius, linguae Syro-chaldaicae, quam in Angamali a Mar-Abraham Nestoriano Episcopo didicerat, peritissimus. Creatus Episcopus Angamalensis a Clemente VIII. anno 1601., et post quatuor annos Cranganoram translatus, institutus fuit Archiepiscopus Cranganorensis a Paulo V. anno 1605. Vide de eo P. Joannem Eusebium de Nierenberg *De Viris illustribus Societatis Jesu pag.* 671. Oriente conquistado a J. C., *Conquista* 1. *et* 2. La Croze, *tom.* 1. *in praef.* Raulin, de Indor. orient. dioecesi *pag.* 539., qui ultimi duo *P. Alegambe* secuti, Rozio mortis annum assignant 1617., nullo prorsus monumento

innixi. Lapis sepulcralis in atrio ecclesiae SS. Gervasii et Protasii in *Pattona Parur* in Malabaria muro insertus in qua ecclesia Rozius habitavit, et quam muro cinxit, cum ob continua bella nec Cranganorae, nec in Angamali degere posset, sequentem fert inscriptionem lingua vulgari Malabarica, antiquo caractere Tamulico-Malabarico in lapide nigricante caelatam. *Anno Christi nati millesimo sexcentesimo vigesimo quarto mense Februario die decima octava jejunio quadragesimali* (more Christianorum S. Thomae) *intrante die Dominica hora decima noctis in communione S. Ecclesiae Catholicae Christianorum S. Thomae in Malabaria episcopus Franciscus obiit*. Haec verba ego in Parur anno 1785. die 10. Septembris exscripsi. Cum igitur haec de Francisco Garcia, qui nonnisi anno 1637. Goae in Episcopum consecratus fuerat, haud intelligi possint, Francisco Rozio non annus 1617. sed 1624. pro sui obitus anno assignandus est. Auctor libri *Oriente conquistado a J. C.* scribit a Rozio 50. canones primi concilii Nicaeni detectos fuisse in libro quodam Syriaco conscripto a *Mar Audixo* Episcopo de *Xigar* seu *Cigar*, qui postea fuit Metropolita in *Zuba*. Vide librum ipsum *Conquista* 1. *diviriao* 2. D. Franciscus Roz synodum provincialem coegit,

et absolvit anno 1606., quam nos errore lapsi alibi D. Francisco Garziae adscripsimus.

II. D. Hieronymus Xaviere e Soc. Jesu, ex opinione P. Alegambe creatus anno 1617., et eodem anno mortuus Goae. Verum P. Franciscus Barretus, qui anno 1645. Romae relationem status christianitatis Malabaricae edidit, nullam de hoc Episcopo mentionem ingerit, cum tamen is *Calicuti* Malabaricae missionis tunc Procurator fuerit, et catalogum Episcoporum Angamalensium texuerit. Vide La Croze *tom.* I. in praef.

III. D. Stephanus de Brito Soc. Jesu, consecratus Goae anno 1617., ut habent acta historica academiae Lusitanae, et codex ms. R. P. Geminiani a S. Octavio Carm. Disc. Malabariae Missionarii, qui Angamalensium Antistitum seriem ex iis descripsit. Obiit Stephanus de Brito anno 1641., non autem anno 1634., ut vult Raulinius, qui in hac re Assemanum perperam confutat. Anno 1624. ut diximus, obiit Roz, sequenti anno Coadjutor ejus intrat Stephanus de Brito. Hic ex sententia P. Barreti XVII. annos Angamalensem sedem occupavit, ergo mortuus est an. 1641., ut habent acta accademiae Lusitanae.

IV. D. Franciscus Garzia S. J. consecratus Goae anno 1637. sub titulo Episcopi Ascalonensis et fu-

turi successoris Archiepiscopi Cranganorensis, expeditis ex urbe ejus electionis litteris die 23. Junii anno 1636. Vide Raulinium, *pag.* 440. Regimen dioecesis Cranganorensis nactus est anno 1641. emortuo Stephano de Brito. Ipse obiit anno 1659. die 3. Septembris. Sub hoc Antistite anno 1653. atrox inter Thomaeos Christianos successit schisma, quod hodiedum perdurat. De eo infra disseram. Occasione hujus schismatis constituti in hac dioecesi Vicarii Apostolici, quorum elenchum dabimus. Denique scissa unitate Ecclesiae et catholica fide abjecta subintrant Episcopi schismatici, quorum pariter series est texenda.

V. P. Franciscus Barreto S. J. Lusitanus, qui recusavit Episcopatum Coccinensem, renunciat etiam Cranganorensi. Vide Episcopos Coccinenses.

VI. P. Andreas Freire S. J. mortuus post annum 1682., cum Breve electionis ejus post mortem advenisset.

VII. Emanuel de Sousa Congr. Oratorii, electus a rege Petro II. die 25. Nov. anno 1684. renunciat.

VIII. P. Franciscus Rois Martello Congr. Oratorii electus dignitatem cessit.

IX. Hieronymus a S. Jacobo monachus S. Benedicti, Qualificator S. Officii, lector Matheseos Co-

nimbriae, primo dignitatem suscipit, deinde ea se abdicat.

X. D. Didacus ab Annunciatione Justinianus Congreg. S.Joannis Evangelistae, consecratus Romae anno 1694. die 19. Aprilis, post septennium renunciat. Numquam dioecesim adiit, sed Abbas mortuus est in Antas.

XI. D. Joannes Ribeiro S. J. creatus anno 1701. die 5. Decembris. De eo multa tradit Raulinius *pag.* 446. *et seq.*, sed alucinatur, dum ait: eum vixisse usque ad annum 1720., nam mortuus est in Ambalacata in seminario, cujus olim Rector erat, die 24. Januarii anno 1716.; quod certum et perspicuum est ex plurimis epistolis PP. Societatis Jesu Ambalacata Verapolim scriptis, quibus a PP. Carmelitis suffragia pro anima ejus exposcunt, ac diem, horam, et mortis annum notant. Itaque ab anno 1659. ad annum 1701. vacavit sedes Cranganorensis.

XII. D. Antonius Pimentel S. J. creatus anno 1721. die 20. Januarii, obiit in oppido Puttencera in Malabaria anno 1752. die 6. Martii. Vir doctus, et Malabarensibus gratus, qui eum nomine *Budhimetran*, seu sapientis et eruditi Praesulis compellabant.

XIII. D. Joannes Aloysius de Vasconcelles S. J.

electus anno 1753., obiit anno 1756. in Puttencera.

XIV. D. Salvator a Regibus (D. Salvador dos Reis) S. J., natus in Villalobos in Hispania, creatus Archiepiscopus Cranganorensis anno 1756. die 19. Julii. Vir sanctimonia vitae praeclarus obiit anno 1777. die septima Aprilis. Sepultus fuit in *Puttencera* in Malabariâ.

XV. D. Josephus Cariatil indigena Malabarensis, alumnus S. Congreg. de Prop. Fide, creatus anno 1882. die 16. Decembris, Ulyssipone Goam appulit anno 1786. die 1. Maii, ibidem obiit anno eodem, die 9. Septembris.

De urbe *Cannanur*, *Calicut*, *Cranganor* (1), *et*

(1) Urbs Cranganur seu *Codungnalúr*, ex quo vocabulo Indico Lusitani dictionem *Cranganor* corruperunt, sita est una a mari leuca intra mediterranea ad flumen, quod eam alluit. Distat *Coccino* quinque leucis, una ab urbe *Pattona Parur* et *Curriapali*. Perantiqua est haec civitas, et olim commercio et commeatibus florentissima. In ea Ethnici, Muhamedani, Hebraei et Christiani degebant, quorum duae ultimae classes translato per Lusitanos in urbem *Coccin* commercio, aedes suas *Coccinum* transtulerunt. saeculo XV. ejus meminit Josephus Indus Cranganorensis, qui in sua navigatione hujus urbis mores describit *cap.* 133. *et* 134. Saeculo VIII. commercii caussa ad eam appulit *Knaj Tomen* seu *Thomas Canna*, mercator Armenus Christianus, qui ab Imperatore *Ceramperumal* multa privilegia Christianis impetravit, quorum aliqua hodiedum sarta, tectaque manent. Hic *Cèramperumál*, idest, *ditionis maxima persona*, idem esse videtur de quo duo Arabes in India itinerantes loquuntur apud Renaudotium *lib. cit. pag.* 158. Hunc ipsi *Balbarà* appellant, quae corruptio est vocabuli Malabarici *Valiarágia*. Valia vel Balia, *magnus*,

Coccin confer praeter opera jam citata ; Ludovici Romani Patritii navig. *lib.* 4. *pag.* 230. *et seq.* Istoria della vita etc. del Ven. M. Fr. Giuseppe di S. Maria, Roma 1719. *lib.* 2. *pag.* 239. Josephi Indi navig. *cap.* 129. *pag.* 143. *et seq.*, Aloysii Cadamusti navig. *cap.* 75. *pag.* 79. *et seq.* item *pag.* 56. *et seq.* in opere inscripto: *Novus orbis regionum*, Basileae anno 1532. *Zend-Avesta* tom. I. disc. prel. pag. 123. et pag. CXLIV. *Viaggio all' Indie orient.* del P. Vincenzo di S. Caterina, *lib.* 2. *cap.* 9. Francisci Barreti *relat. Miss. Malabaricae*, Romae 1645.

ragia *rex*, *magnus rex*. De qua significatione convenit Renaudotius. Hunc Malabariae regem Arabes hi ex regno *Kenkem*, id est, ex regno *Concam*, quod Malabariae limitrophum est, oriundum fuisse recte affirmabant. Is enim alio nomine *Pándiperumal*, id est, regni *Pándi* seu *Madure* et *Concam maxima persona*, atque etiam *Tamulpáda* regni *Tamul* seu *Madure* et *Concam rex* appellabatur. Quae non natalitia, neque propria, sed communia et appellativa regum nomina fuisse jam perspicis. Hic *rex regum*, *Imperator*, seu *magnus rex* urbis Cannanur, Calicut et Cranganor, totiusque regni Canara, Concam et Malabariae dominus et possessor, partim Calicutii, partim in Cranganor habitabat, atque in *Cranganor* degens varia privilegia Hebraeis et Christianis concesserat, quae Hebraei Coccinenses aereis tabulis inscripta hodiedum asservant. Hic ipse rex Arabibus benignus et facilis, eis Calicutii aedes multas concessit, ibique prima eorum roboris et potentiae basis incepit. Quare perperam Renaudotius hunc regem ex regno *Concam* in sinum *Cambajae* relegat. Vide Anquetilii Zend-Avesta *tom.* I. *disc. prel. pag.* 170. *et seq.* Musei Borgiani Velitris Codices manuscriptos Avenses, Peguanos, Siamicos, Malabaricos, Indostanos, Romae 1793. *pag.* 43. 44 In urbe *Cranganur* S. Thomam Apost. cum idolo *Vishnu* collocutum fuisse gentiles fabulantur.

VICARII APOSTOLICI MALABARIAE.

Supremum obiit diem D. Alexius Cenezes ex Goano Archiepiscopo Hispaniarum Primas et Antistes Bracharensis anno 1617. die 3. Maii (1). Eodem anno secundus ab illo Angamalensis Praesul Stephanus de Brito ecclesiam Malabarensem regendam susceperat. Vix ergo Menezius obitu suo oculos clauserat, jam illa infelix Angamalensis seu Cranganorensis, tot laboribus, tot sudoribus et impensis Menezii ad Catholicam fidem et Ecclesiae unitatem traducta Nestoriana dioecesis, malignantium sacerdotum agitata furoribus ad veterem toto conatu redire tentavit insaniam. Extat apud me codex ms. R. P. Ildephonsi a Praesentatione olim Malabariae Missionarii, qui ex tabulariis Missionis Verapolitanae epistolam profert Lusitano sermone scriptam, quam Archidiaconus Georgius et cum eo praecipui sacerdotes, ac ecclesiarum oeconomi inconsulto suo Antistite Stephano de Brito an. 1632. die 19. Decembris in oppido *Rapolim* congregati ad regem Lusitaniae perscripserant (2). In ea praecipuae schismatis, quod anno 1653. successerat,

(1) Vide inscriptionem ad ejus tumulum *Braccari*, apud Raulin *in praef.* in vita Alexii de Menezes.

(2) Oppidi *Rapolim*, quod Lusitani ex vocabulo Malabarico *Elapuli* corruperant, situm, aliaque

caussae praecoci meditatione jam tunc agitatae et indicatae fuerant. Laudant in ea Mar Abraham suum olim Nestorianum Episcopum, qui simulata catholica fide tot Antistites Goanos jam saepe deluserat (1). *Presentemente* (ajunt ipsi) *o Senhor Arcebispo Dom Estevao* (Stephanus) *nao he homem de lingoa Syro-Caldea, por isso nascerao erros plurimos e confusao entre nos*. D. Franciscus Roz antecessor et linguam Syriacam callebat, et cum nonnullis sacerdotibus indigenis libros correxerat, quales ipsi hodiedum gerunt, cum ab illo tempore nemo huic operi manum admoverit. Neque vero necesse est lingua Syriaca verbum Dei praedicare ac confessiones fidelium audire, cum pauci sacerdotes Syriacum idioma legant, ac ipsi et omnis populus gentilitia Malabarica lingua utantur, quam et D. Stephanus de Brito, et alii Missionarii fere omnes probe callebant. *No Synodo de Udiamper* (prosequitur epistola) *fumos avisados paraque nos Syro-caldeos tomassemos bom cuidado de nunca deixar de ser governados, dirigidos, ensinados e adoutrinados pelos*

Malabariae oppida videsis infra in mappa geographica, a me in Malabaride confecta, et Augustae Vindelicorum in aes incisa.

(1) Vide epistolam Lusitano idiomate scriptam a Christianis Thomaeis anno 1632. in annalibus manuscriptis R. P. Idelphonsi a Psaesentatione, qui extant in domo generalitia S. Theresae et S. Joannis a Cruce Romae. Oriente conquistado a J. C. *tom.* 2. *Conq.* 1. *divisiao* 2.

Prelados do mesmo rito, e sciencia etc. In formula juramenti, quod hi Sacerdotes et Christiani omnes in manibus D. Menezii emiserant, ipsi jurabant in haec verba (1): *Spondeo, voveo, et juro Deo, Cruci, et sanctis Evangeliis, nullum me in praesens, vel in posterum in hac ecclesia et episcopatu Montensi, Episcopum, Archiepiscopum, Praelatum, Pastorem, vel Gubernatorem admissurum, praeter illum, qui a Sancta Sede Apostolica, per Papam et Pontificem Romanum fuerit immediate constitutus, atque ipsi ita constituto, tamquam proprio, et vero Pastori obedientiam praestiturum, omnino independenter, nulloque expectato consensu, aut nominatione a Patriarcha Babylonico, quem rejicio, damno, et anathematizo etc.* Vix obierat Episcopus primus eorum latinus D. Rozius, ipsi jam Syro-chaldaeum, et quid nisi Nestorianum aut Jacobitam Babylone desiderant, ac perjurii reos se constituunt. Conqueruntur deinde peracerbe in laudata epistola contra PP. Societatis Jesu, 1. quod ipsi linguam Syro-chaldaeam in locis Malabariae, in quibus ipsis lubet, doceant, 2. quod a rege Lusitaniae missa pecuniarum subsidia sacerdotibus indigenis non extradant, 3. quod D. Stephanus de Brito inconsulto

(1) Synodus Odiamperitana act. II. decreto 1. *Professio et Juramentum fidei*, pag. 70. apud Raulin, et in veteri meo codice manuscripto.

eorum Archidiacono Georgio sacerdotibus paroecias conferat. Vide de his epistolam D. Raphaelis de Figueredo Episcopi Adrumentini anno 1681. ad S. Congr. de Prop. Fide scriptam. Haec fere sunt accusationis capita, quibus suum ab ecclesia discessum et scissuram urgebant, et sub hoc colore non expectata regis Lusitaniae sententia anno circiter 1652. Nestorianum quemdam Episcopum nomine Arabico Abatallah, Graeco Theodorum, Malabarensibus Ignatium verius Bagdado seu Babylone clam evocarunt (1). Hic a Lusitanis captus et Goam conductus interiit circa an. 1654. Quo facto furentibus nationis sacerdotibus, sacrilego ritu duodecim ex iis, impellente quoddam Itti Thoma praecipuo coriphaeo, in ecclesia oppidi *Alangata* seu *Mangata* dicti anno 1653. die 22. Maii SS. Trinitati sacra patritio suo cuidam sacerdoti പറമ്പിൽ തുമ്മി Parambil Tumi, seu *Thomae de Campo* ex parochia Corolongatta oriundo manus mitramque episcopalem imposuerunt, ac ut suum et plebis Antistitem coli et observari praeceperunt (2). Vide quae de hoc facinore et ho-

(1) P. Vincentius a S. Catharina *lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 153. *et seq.* Raulin. *pag.* 441. Annali delle missioni Apostoliche del Malabar dall' anno 1632. *cod.ms.* P. Ildephonsi a Praesentatione *pag.* 1. 2. 3. 4. 5.

(2) Vide opus Eusebii Renaudotii *Liturgiarum orientalium collectio, in qua continentur Jacobitarum Syrorum liturgiae ex codicibus Sy-*

mine scribit Urbanus Cerri *pag.* 179. P. Vincentius *loc. cit.* P. Joseph a S. Maria, *Prima spedizione all'Indie orientali* pag. 4. 6. item lib. 2. cap. 1. pag. 91. *de reductione hujus intrusi*. P. Ildephonsus in cod. ms. *Annali delle Missioni Apostoliche del Malabar compilati dall'anno* 1632., Raulin *pag.* 442. Enchyridion P. Eusebii ab omnibus SS. *ad annum* 1656. Instituto a 12. Sacerdotibus hoc sacrilego, intruso, et ficto episcopo tota dioecesis Angamalensis, eo tempore ex ducentum fere millibus animarum constans, ad schisma deflexit, exceptis circiter quadringentis Christianis, qui tantum scelus in animum suum inducere nequibant, ac obedientiam intruso praestare nolebant. Noti erant his Carmelitae Discalceati, quorum duo cum ex conventu Missionum Goano ante viginti circiter a schismate retroactos annos in Malabariam venissent, ut Coccini, aut in Angamalensi dioecesi domum erigerent pro missionibus exercendis, cum iis amicitiae foedera statuerant. Hi

riacis latine conversae, Parisiis 1716. *tom.* 1. *pag.* 377., ubi *Seldenum*, qui PatriarchamAlexandrinum antiquitus XII. presbyterorum chirotonia eligi et consecrari solitum fuisse, fallacibus conjecturis inductus opinabatur, egregie carminat et perstringit. Consecratio Episcopi etiam primis Ecclesiae temporibus a *Metropolitano*, atque a tribus Episcopis *Comprovincialibus* celebranda fuit. Vide *Conc. Nicaen.* 1. c. 4. et 6., et Alexii Aurelii Pelliccia, *De Christianae Ecclesiae primae, mediae, et novissimae aetatis politia*, tom. 1. lib. 1. sect. 2. §. 3. pag. 105.

postquam re infecta Goam redivissent, Christiani Malabarenses facto schismate data eos epistola conveniunt, ac denique infausti successus litterae ad Alexandrum VII. perferuntur. Hic anno 1656. ad Malabares expedivit R. P. Josephum a S. Maria, Vincentium a S. Catharina, Hiacynthum a S. Vincentio, P. Marcellum, et P. Mathaeum a S. Joseph. Quorum illi primi duo Coccinum appulerant sequenti anno die 22. Februarii, quo mense missionis opus aggressi pedetentim 40. ecclesias ab intruso avulserant, ac ad ecclesiae unitatem reduxerant. Vide de his Apostolicis laboribus auctores supra citatos, et librum inscriptum: *Istoria della vita, virtù, doni, e fatti illustri del Ven. Monsignor Fr. Gioseppe di S. Maria de Sebastiani*, dal P. Eustachio di S. Maria, Roma 1719. *lib.* 1. *cap.* 7. 8., *et seq.*, ubi etiam plura Alexandri VII. in hanc rem Brevia refert. Relicto in Malabaride P. Matthaeo a S. Joseph et P. Marcello, Romam rediit P. Joseph cum P. Vincentio, quo temporis intervallo per Ulyssiponem et Goam in Malabaridem appulit P. Hyacynthus, qui cum sociis, auxiliatrices praebente manus Capitulo ecclesiae Coccinensis, reductioni Christianorum operam dabat. Interim Romae in Episcopum Hierapolitanum ac Vicarium Apostolicum creatus R. P. Joseph a S. Maria die 16. De-

cembris anno 1659., quo amplissimis ab eodem Alexandro VII. instructus facultatibus cum P. Angelo a S. Maria, P. Joanne Thaddaeo a S. Birgitta, et Gottefrido a S. Andrea iterum in Malabariam remeat Christianitati S. Thomae de novo Episcopo prospecturus. Appulit in Malabariam anno 1661., quo, et duobus sequentibus reducta ad obedientiam et unitatem S. R. Ecclesiae multa Christianorum oppida cum sacerdotibus indigenis, qui ab intruso defecerunt. Verum dum anno 1663. die 6. Januarii debellatis Lusitanis per Batavos urbs Coccinensis capitur, D. Joseph a S. Maria e Malabaride excedere cogitur, quam ne pastore catholico viduam relinqueret, vir providus et sagax anno 1663. die 31. Januarii, jam defuncto Francisco Garzia Archiepiscopo Angamalensi, in oppido *Carturti* assistentibus sibi duobus Presbyteris, et praesente pene infinita populi multitudine in Episcopum Megarensem consecravit D. Alexandrum de Campo virum probum, sacerdotem indigenam, Intruso affinitate conjunctum, cui novam ecclesiam a schismate reductam, regendam commisit. Vide Breve Alexandri VII. *Injuncti Nobis divinitus*, Romae anno 1659. die 17. Dec. Heic igitur series Vicariorum Apostolicorum incipit.

I. Anno 1659. D. Joseph a S. Maria de Seba-

stiani, redux in Europam Episcopus civitatis Castelli obiit die 15. Octob. anno 1689. Extant duo ejus itineraria ad Malabares, quorum jam meminimus.

II. Anno 1663. die 31. Januarii creatus പറ മ്പിൽ ചാണ്ടി Parambil Ciandi seu *Alexander de Campo* oriundus ex *Corolongatta*, obiit anno 1676., cui senescenti jam datus fuerat coadjutor Raphael de Figueredo.

III. Anno 1675. die 30. Augusti per litteras Apostolicas creatus Episcopus Fulcivilensis, et vicarius Apostolicus regni Travancor, Tanjaur, et aliarum provinciarum intra Gangem *D. Thomas de Castro* indigena Goanus, qui habitabat in urbe *Calicut*, et *Mangalor*, ad quam in mediterraneis duas condidit ecclesias. Vide Urbanum Cerri *p.* 179. et Annales missionis Verapolitanae *in cod. ms.* P. Ildephonsi. Obiit anno 1684. die 16. Julii.

IV. Anno 1675. die 30. Augusti, ut constat ex tabulariis S. Congreg. de Prop. Fide data facultas 4. PP. Carmelitis Discalceatis, nempe R. P. Bartholomaeo a Spiritu S., Caelestino a S. Ludvina, Agnello a S. Maria et P. Angelo Francisco a S. Theresia eligendi coadjutorem maxime idoneum D. Alexandro de Campo Episcopo Megarensi. Hi anno 1677. die 3. Martii, non autem anno 1676.

ut habet Raulinius, elegerunt in Episcopum Adrumentinum *D. Raphaelem de Figueredo Salgado* indigenam Coccinensem, quem cum D. Alexander de Campo consecrare nollet; quod favente *D. Henrico Van Rheede* gubernatore Coccinensi nepotem suum *Matthaeum de Campo* in Episcopum sibi coadjutorem exoptaverat; eum consecravit in urbe Calicut eodem anno 1677. D. Thomas de Castro Episcopus Fulcivilensis. Haec electio et consecratio confirmata fuit litteris Apostolicis anno 1681. die 14. Aug. faventibus PP. Missionariis D. Alexandro de Campo, et obedientiam suadentibus D. Raphaeli, qui Alexandrum de Campo spernebat, infinitae lites, et jurgia inter PP. Carmelitas, et D. Raphaelem exorta sunt, quibus sedandis deligitur D. Custodius de Pinho Episcopus Hierapolitanus Vicarius Apost. Magni Mogolis, qui anno 1687. die 16. Januarii Malabariae visitator Apostolicus, ac demum anno 1694. die 16. Januarii Malabariae vicarius Apostolicus in locum D. Raphaelis suffectus fuit. Verum D. Custodius Malabariam non adiit, et D. Raphael fato cessit anno 1695. die 12. Octob., sepultusque fuit in ecclesia *Palliport* ad austrum, vulgo *Tekenpallipuram* dicta. Ex paucis his lineis patet: Indorum ambitionem in sectandis honoribus et dignitatibus infinitam esse,

cui publicam pacem et religionem facile sacrificant.

V. Anno 1700. die 20. Februarii D. Angelus Franciscus a S. Theresia Carmelita Discalceatus, Episcopus Methelopolitanus, consecratus a Mar Simone episcopo Syro catholico in ecclesia Mangatensi seu Alangatta anno seq. 1701. die 22. Maii. Eum nec Archiepiscopus Goanus, nec Episcopus Coccinensis Petrus Pacheco Jurispatronatus Lusitani acerrimi et tenacissimi defensores consecrare volebant. Idem Methelopolitanus anno 1709. die 13. Martii confirmatus fuit vicarius Apostolicus dioecesis Cranganorensis et Coccinensis ob diuturnam propriorum Episcoporum a dioecesibus suis absentiam. Vir zelo fidei, religione in Deum, caritate in proximum, Apostolicis laboribus, vigilantia, et sui ipsius abnegatione maxime conspicuus obiit anno 1712. die 17. Octob. hora septima matutina. Corpus ejus conditum fuit Verapoli in ecclesia S. Joseph in muro ad latus Evangelii, ad quem locum cum venerandi caussa Malabarenses hodiedum accurrunt. Erat provinciae Pedemontanae alumnus. Confer de eo Raulinium *pag.* 447.

VI. Anno 1714. die 31. Januarii creatus D. Joannes Bapt. a S. Theresia Carm. Disc. Episcopus Limirensis, et Vic. Apost., consecratus in Caroar a

D. Mauritio a S. Theresia episcopo Anastasiopolitano anno 1717. die 4. Aprilis. Ipse consecravit anno 1732. die 19. Nov. R. P. Petrum ab Alcantara episcopum Areopolitanum magni Mogolis Vic. Apost. Obiit Verapoli anno 1750. die 6. Aprilis, anno aetatis suae 76., episcopatus 34. Provinciae Genuensis alumnus, saeculari nomine *Multedi*, germanus frater R. P. N. Bonaventurae Praepositi Generalis, forti animo pertulit omnes vexationes, et persecutiones, quibus eum exagitavit D. Pimentel Archiepiscopus Aranganorensis, et D. Franciscus de Vasconcelles Episcopus Coccinensis, quorum ille primus Cranganora, hic Coccino per Batavos exul, varias criminationes in Vicarium Apostolicum injiciebat. Sub D. Joanne Bapt. an. 1725. per P. Dominicum a S. Joanne a Cruce Carm. Disc. fundata fuit domus, templum, et missio in *Mahè* et *Ramatali*, quae ad annum usque 1782. fuit florentissima.

VII. Anno 1734. die 11. Dec. Innocentius a S. Leopoldo Episcopus Aureliopolitanus, institutus coadjutor D. Joannis Bapt. renunciat.

VIII. Anno 1746. die 15. Januarii D. Florentius a Jesu Nazaraeno Carm. Disc. Episcopus Areopolitanus Vic. Apost., consecratus in *Coroar* anno seq.. die 20. Aprilis per D. Innocentium a Praesentatione

Episcopum Aureliopolitanum. Vir fortis et acer, gubernandi peritus, Schismaticorum malleus, malignantium Sacerdotum terror, in periculis belli et temporis calamitatibus invictus. Eum rex Travancor *Rama Varmer* gentilis Princeps subacta anno 1761. tota Malabaria invisit, et publico elogio honorifico affecit. Verapoli seminarium erexit; domum pro alendis et erudiendis cathecumenis construxit; oratorium et aedem Mattincerensem, PP. Carmelitarum hospitium auxit. Obiit anno 1773. die 26. Julii, sepultusque fuit Verapoli. Ad ejus feretrum inter Sacerdotes Syros et Latinos enata est contentio, quae deinde multorum in Malabaria malorum fuit fons et origo; Syri enim Thomaei a Latanis secedendi inde occasionem captare, ac Missionarios vexare animo constituerant, quod ad annum usque 1788. prosecuti sunt. D.Florentius erat Polonus.

IX. Anno 1774. die 27. Julii D. Franciscus Salesius a Matre dolorosa Carm. Disc. Prov. Bavaricae. Episcopus Germaniciensis, Vic. Apost. consecratus Lutetiae Parisiorum, in Malabariam appulit anno 1775. die 13. Octobris, ubi cum inter eum et Patres Missionarios varia jurgia intercessissent, inde secedens obiit in monte Carmelo anno 1787. aetatis suae 56., Episcopatus 13.

X. Anno 1780. die 23. Decemb. electus D. Joannes Maria a S. Thoma Carm. Disc. Prov. Longobardicae, Episcopus Castoriensis Vic. Apost., obiit Madrasti apud Cappucinos. Non fuit consecratus.

XI. Anno 1784. die 30. Martii D. Aloysius Maria a Jesu Carm. Disc. Provinciae Romanae, Episcopus Usulensis, Vicarius Apostolicus consecratus Pondicerii anno 1785. die 25. Septembris, unde redux gubernium adiit an. 1787. die 10. Februarii. Sub hoc Episcopo plerique Syro-chaldaici ritus Sacerdotes et Christiani S. Thomae in ecclesia S. Georgii in Angamali congregati Praeside *D. Thoma Paréamakel* indigena Malabarico Archiepiscopatus Cranganorensis Vicario generali ab Archiepiscopo Goano instituto, a Latinis Vicariis Apostolicis, quod jam ab obitu D. Florentii meditabantur, se separant, atque jurejurando se obstringunt, inposterum non nisi suae nationis pastores se recepturos, et in specie quidem praedictum Thomam Pareamakel. Ut autem secessionis suae caussam apud regem Coccinensem, et regem Travancorensem dicere possent: maximis calumniis onerant PP. Jesuitas et PP. Carmelitas, qui tot labores pro iis exantlaverant. Accusant eos, quod *D. Cariatil* suum Archiepiscopum veneno sustulerint; quod *Mar-Simonem* Syro-chal-





Ráma Varmer

Rex Tra=  =vancoridis

anno 1790.

Ex autographo Indico Musei Borgiani Velitris.

daeum ex Malabaria olim expulerint; quod aliquos gentis suae sacerdotes in carceres conjecerint; et his similia. Verum cum ego unacum D. Joanne Van-Truyns interprete Societatis Batavo-Coccinensis caussam Patrum defensurus die 18. Martii anno eodem ad regem Travancorensem *Rama Varmer* in urbem *Tiruvanandapuram* accessissem, accitis Christianorum accusatorum coriphaeis et quatuor administris gentilicis constitutis, caussa examinata fuit: qua cum victi fuissent; pro calumniis et tumultu excitato mulctam pecuniae subire coacti, regibus solverunt duodecim millia scuta Romana, quae per milites exacta fuerant. Thomas Pareamakel episcopalis dignitatis spe abjecta, belli a Tipu Saheb illati calamitatibus oppressus, hebescente jam tota auctoritatis acie miserrime eam Christianitatem gubernat, clericis vero Episcopus Coccinensis sacros ordines Confert. Acta judicialia hujus caussae Romam fuere transmissa; et ut perenne hoc Malabarensium Sacerdotum iniquitatis monumentum extaret, unacum regis Travancoridis *Rama Varmer* epistola ad *D. Ioannem Gerardum Van-Angelbeck* Coccini gubernatorem generalem scripta, in secretaria Coccinensi, ac in scriniis missionis Verapolitanae deposita asservantur.

In hoc conventionis nationalis instrumento

പടിയോലയുടെ padiola dicto, quod in Angamali viritim subscripserunt, et quo contemptis latinis Episcopis et Vicariis Apostolicis suae tantum nationis Episcopos Syro-Chaldaeos se admissuros jurant, ipsi numerant parochias catholicas octuaginta quatuor, quibus si addas triginta duas parochias schismaticas, tota et integra dioecesis Angamalensis constabit ex centum et sexdecim parochiis (1). In computu inter eos ad solvendam mulctam facto et in familias distributo, ipsi numerant familias catholicas centum mille. Verum numerum hunc justo majorem esse invenerunt; unde gravamen mulctae evasit maximum. Tot fere familiae olim sub Malabariae regulis numerabantur; at postquam rex Travancorensis *Rama Varmer* omnes Malabariae provincias anno 1761. suo imperio subjecit, et *Nabab Tipu Sultan* anno 1790. et seq. Septentrionales ecclesias et Christianorum multas familias fame et bello perdidit, numerus familiarum et parochiarum valde imminutus fuit. Catalogum veterum parochiarum totius Angamalensis dioece-

(1) Illustrissimus D. Angelus Franciscus a S. Theresia Episcopus Methelopolitanus anno 1702. ecclesias seu parochias Christianorum S. Thomae catholicas, schismaticas, et ex utrisque mixtas numeravit cxiv., inter quas non comprehenduntur parochiae aliae novis Christianis *Marcacarer* dictis addictae. Ex quibus jam patet: catalogum quem Raulin *p.* 428. et Anquetil in *Zend Avesta* tom. 1. *pag.* clxxxiii. affert, numero ecclesiarum deficere.

sis affert Anquetil in Zend-Avesta, *Discours prélim.* pag. clxxx. *Liste des Eglises dependantes du Diocese de Veraple*, P. Ildephonsus in cod. ms. *Annali delle Missioni Apostoliche del Malabar*, in bibliotheca domus generalitiae ad S. Theresiam et S. Joannem de Cruce Romae, et Raulin, *pag.* 428.

Subacta a Batavis anno 1663. Coccinensi, et Cranganorensi urbe, pulsisque Lusitanis, ejecti sunt cum eis omnes Catholicae religionis administri. PP. Societatis Jesu longius Coccino et Cranganora versus Boream progressi, in ditione regis *Samorini* in oppido *Ambalacata* domum missionis, et seminarium pro erudienda Malabarica juventute construxerant, quod variis rerum casibus expositum substitit usque ad annum 1773. Aliam aedem extruxerant in oppido *Puccotta*, et alteram in oppido *Puttencera*. In his gentiles indigenas ad fidem Catholicam venientes instruebant, et sacro lavacro expiabant. Singulis fere annis ducentum et plures ethnici ad fidem traducebantur, et inter hos aliqui Brahmanes, ac multi nobiles *Nayres*, quorum elenchus rite servabatur in ecclesia. Post schisma sub D. Francisco Garzia inductum, Carmelitae Discalceati ab Alexand. VII. in Malabariam missi, per plures annos vicatim habitabant, at anno 1673. prima constructa domus a P. Mathaeo a S. Joseph in *Cettiatti*,

in lamina cuprea ad id facultatem dante D. *Henrico Van Rheede* Coccini Gubernatore , et ipsius loci domino gentili Principe *Irivari Ramen* palmetum Patribus concedente . In quo ecclesia B. M. V. de monte Carmelo sacra erecta fuit, quam D. Alexander de Campo Episcopus Megarensis a jurisdictione ordinarii exemit epistola ex oppido *Codoveciur* anno 1674. die tertia Martii scripta, ad cujus calcem is signat : *Alexander Metropolita* ܕܟܠ ܗܢܕܘ *dekul Hendo* , id est , *Alexander Metropolita totius Indiae* . Quam quidem subscriptionis formulam is adhibuit , quia ea Indiae episcopis Syro-chaldaici ritus etiam Nestorianis jam a remotissimo tempore peculiaris erat , qui se et *Metropolitas* , et *Taraá indu coll Hendo* , seu *portam totius Indiae* in suis epistolis signabant . Confer Raulinium , *pag.* 447. Epistolam D. Alexandri etiam subscribunt duo alii Syro-Chaldaici ritus Sacerdotes : *Cashisha Gibargbisa de Paramba* , id est , Sacerdos Georgius a Campo, et *Cashisha deskana Mattay deskana Marta Mariam* , id est , Sacerdos Mathaeus a S. Maria, quorum ille primus nepos Alexandri de Campo, alter ecclesiae S. Mariae in *Codoveciur* parochus fuisse videtur . Sigillum in cera rubra crucem gerit , quod pervetustum ecclesiae seu dioecesis Angama-

lensis signum est. Aliam ecclesiam et collegium PP. Carmelitae Discalceati exstruxerunt in palmeto *Tattáracéri* dicto, tribus fere leucis Coccino versus Borrapeliotem seu *Nord-Est* dissito, anno urbis *Collam* 860., id est, anno Christi 1673., palmetum concedente, atque ab omni taxa, onere, et gravamine eximente rege *Perumpadapil* seu rege Coccinensi, gentili Principe, in cujus ditione Palmetum situm est. De hoc jam alibi disseruimus (1). Ab ipsa hujus ecclesiae infantia singulis annis quadringenti circiter ethnici viri, feminae, pueri ad fidem catholicam instituebantur, et s. baptismate ecclesiae aggregabantur, qui vel sua sponte eo confluebant, hodieque confluunt, aut a Missionariis vicatim inter gentiles christianas parochias obeuntibus clam illuc mittuntur, ut instructi et baptizati christianae militiae adscribantur. Anno 1787. dum falsi illi christiani apud regem Travancor Patres variarum iniquitatum accusarunt, ut eos e Malabaria expellerent, inter alia catalogum, quem ex ecclesia Verapolitana furto sustulere, produxerunt, ex quo singulis annis mille ethnicos Verapoli ad fidem conversos fuisse clamitabant. Verum numerum falso auxerant, ut regis administros gentiles in Patres concitarent. Exar-

(1) Systema Brahmanicum liturgicum, mythologicum, civile *pag.*231.

sit contra me, qui caussam Patrum defensurus ad tribunal stabam, furor et odium *Sampradi Keshavapullae* primi tunc regi a secretis viri, qui omnibus aliis accusationis capitibus postpositis, hoc unum statim urgere, invehi, ac me compellere coepit, ut pro parte omnium Patrum instrumentum signarem, quo ego, Episcopus et reliqui Patres omnes promitterent, se numquam amplius ethnicos regis subditos ad fidem catholicam traducturos. Diu et multum disputatum est. Tandem primus regni administer, *Patmanába Cembaga Ramapulla* vir gravis et probus, qui liti assidebat, ut me a vexatione eximeret, versa ad Secretarium facie, ore composito et hilari ait: hoc argumentum non tam acriter urgendum esse, cum exigua, ut ipsi et quidem praepostere videbatur, esset diversitas inter catholicam, ac gentilium Malabarensium religionem ex eo quod nos et ipsi idola veneremur, nos et ipsi statuas in solemni pompa circumferamus. Ajebat deinde, aliquos conversos christianos subinde iterum gentilibus accedere. Nec locus, nec tempus erat disserendi, quaenam inter christianos et gentiles religionis intercedat diversitas. Quare post acre certamen, in quo ego cum primis ostendebam: ex christiana religione nullum regno et regi obvenire damnum, neglecto hoc accusationis articulo,

ad alia capita sermo conversus est. Verapoli veteri seminario anno 1682. erecto, novum cura S. Congreg. de Prop. Fide accessit collegium, in quo duodecim latini juvenes, et duodeviginti Syro-chaldaici ritus Clerici indigenae ad statum ecclesiasticum instituuntur. Hic numerus subinde accrescit, alias vero diminuitur pro ratione sumptuum et facultatum, quae a S. Congregatione pro iis alendis et instituendis illuc mittuntur. Haec fere est facies catholica dioecesis Angamalensis.

EPISCOPI SCHISMATICI

Jacobitae Episcopi alienigenae, qui ad regendam Malabarensinm ecclesiam adveniebant, omnes se a Patriarcha *Antiocheno* missos fuisse perhibebant, atque *Antiochenam* sedem *Orbis Christiani caput* esse praedicabant. Josephus Indus Cranganorensis in sua navig. *cap.* 133. *pag.* 146. ait: *Hic Petrus non prius solvit Antiochia concessurus Romam, quam Vicarium Antiochiae praefecerit, et is est, qui Orientalem plagam moderatur, et dicitur* Catholica, *geritque Petri vices*. Hunc in Armenia sedem habuisse, et Indos ad sacerdotium promovisse dicit, ac subdit: *Itidem agunt Christiani omnes Indi, et regni* Cataii. *Eorum Pontifex* Catholica *dicitur*, *fert-*

que tonsuram instar crucis: praeficit Patriarchas suos, alterum in India, *in* Catayo *alterum*. Josephi Indi testimonium, qui haec anno 1502. narrabat, verax esse, comperit anno 1599. synodus Odiamperitana, et Renaudotius, qui *pag.* 239. ad veteres relationes Arabum in libro *sup. cit.* scribit: Nestorianos aeque ac Jacobitas, pulsis a sede Seleucensi Orthodoxis, titulum *Catholici* Patriarchae assumpsisse, quem Arabes *Jathlik*, Marcus Paulus *Zatolik*, et Josephus Indus *Catholica* nominat. Hunc titulum Jacobitae in odium Nestorianorum in titulum *Mofrian* mutarunt, quo factum est: ut plures Episcopi Jacobitae in Malabariam venientes, se ipsos *Mofrianos* seu *Mafrianos* compellarent. Utrique, Nestoriani et Jacobitae, Antiochenae sedis praeeminentiam praedicabant, et haec opinio hodiedum in Malabaria inter schismaticos obtinet. *On commença sous l'Empire de* Justinien *à appeller* Catholiques, *des Prelats superieurs en dignité aux Metropolitains, qui en avoient plusieurs à leur autorité.... Il y en eut d'abord deux, celuy de Perse, et celui d'Armenie* (a quo Joseph Indus sacerdotalem Malabarensium successionem deducit), *qui sont demeurez dans l'Eglise Jacobite. Les Nestoriens, qui étoient établis á* Seleucie *et a* Ctesiphonte, *ayant renoncé á l'obeissance des orthodoxes, auquels ils avoient*

succedé, et les ayant depovillez de tuote autorité par la protection des derniers Rois de Perse, prirent le titre de Catholiques, *et ils l'ont conservé depuis, y ajoutant celui de* Patriarche, *par ce qu' ils étoient chefs de toute la communion Nestorienne... Enfin il est devenu tellement affecté aux Patriarches Nestoriens, que les Jacobites en haine de cette secte, ayant dans leur Eglise de veritables* Catholiques, *ont commencé depuis plus de cinq cents ans á leur donner le titre de* Mofrian. Renaudot, *Anciennes relations des Indes etc. pag.* 239. Idem auctor ex cod. Arab. *ms.* bibl. Colbertinae *histor. Nestor.*, aliisque monumentis de Patriarcha Alexandriae Jacobita agens docet: Jacobitas Ecclesiae Alexandrinae addictos veram et validam ordinationem et successionem in *Dioscoro* coeptam, usque ad *Beniaminum* habuisse; ut alii Praesules Jacobitae Antiochenae Ecclesiae addicti legitimam successionem nacti sunt in *Severo* ejus sedis Episcopo legitimo. Confer Philippum de Carboneano *tract. de sacris Christianorum ritibus pag.* 35. 36. Ex his ergo sequitur, aliquos ex iis Jacobitis, qui in Malabariam venerant, validam ordinationem habuisse; quod heic animadvertere volui, ne Missionarii Malabarici, dum schismaticum Praesulem vident, illico censeant, eum valida ordinatione carere, ac proinde eam-

dem invalide conferre; id quod multis antea videbatur. Patriarchatum Antiochenum per singulas suas partes descripsit *Nilus Archimandrita* cognomento *Doxopatrius* in tract. *de quinque thronis Patriarchalibus*, elucubrato anno 1043. Vide elenchum monumentorum in tabula III. saeculi III. *Demonstrationis historiae ecclesiasticae monumentis comprobatae, Francisci Blanchini*, Romae 1752., et Renaudot *lib. cit. pag.* 267., qui ex Nilo Doxopatrio apud Allatium *lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 166. relato, scribit κατεῖχεν ἅπα σαν τὴν ἀσίαν, κ̀ ἀνα τολὴν αὐτήν τε τὴν Ἰνδίαν ὅτε ἕιος etc. *Son autorité* (Antiocheni) *s' étendoit dans toute l' Asie, l' Orient et les Indes, où il envoyoit un Catholique appellé de Ramogyris*. Conc. *Nicaenum* celebratum anno 325. can. VI. *Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Lybiam, et Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et urbis Romae parilis mos est: similiter apud Antiochiam* (1). Antiqua ergo Antiocheni Patriarchae Jacobitae in Indiam est praetensio, in quam tamen Antiocheni nullum Episcopum mittebant, quia a Nestorianis Praesulibus

(1) Vide plura de *Antiochena* Ecclesia in erudito opere *Jo. Alberti Fabricii* inscripto: *Salutaris lux Evangelii toti orbi per divinam gratiam exoriens, sive notitia historico chronologica, litteraria, et geographica Propagatorum per orbem totum Christianorum Sacrorum*. Hamburgi 1731. *pag.* 83. 84.

in *Seleucia*, *Edessae*, *Nisibis*, *Balsorae*, in *Perside*, in *Meru* regni *Corossani* urbe, ac denique in *Araet* seu *Aria*, in *Caschar*, et *Malabaride* exsistentibus, eorum Missio impediebatur; qui jure suo antiquo gaudentes, eos ab his sedibus arcebant, et repellebant. Ubi notandum est, sedem Nestorianam Indiae seu Malabaridis inter Nestorianas dioeceses decimam tertiam numerari, et ultimum locum obtinere. Haec eadem Metropolitica sedes saeculo VII. Sinensi Metropoli conjuncta erat, unde etiam apud Goveam *in historia Alexii de Meneses* Episcopus Nestorianus, *Indiae et Sinarum* Metropolitanus dicebatur. Confer Renaudot. *pag.* 365. Hi Metropolitani Nestoriani Malabarenses, ut supra jam animadvertimus, se *Portam totius Indiae* nominabant, atque *Metropolitas* et *Portam* esse dicebant, et in litteris suis signabant. At postquam Muhamedismi saeculo III., Jacobitae numero, facultatibus et auctoritate accreverunt, pedetentim Nestorianos e sedibus suis pellere, et sectam suam non solum in Perside, sed etiam in India propagare incoeperunt, unde accidit: ut etiam renitentibus Nestorianis, et obsistentibus Lusitanus in Malabariam venirent, et haeresi Nestorianae errores *Dioscori* opponerent. Vide de Jacobo *Dioscori* errores propagatore, qui circa medium saeculi VI. *Mono-*

phisitarum haeresim disseminavit, Nicephorum *lib.* 18. *cap.* 52. et de Antiocheno Patriarcha Eusebium *de vit. Constant. lib.* 3. *cap.* 50. Nilum *Doxopatrium* apud Leonem Allatium, et Philippum de Carboneano, *in II. parte* Theologiae P. Antoine *tract. de sacris ritibus orientalis Ecclesiae pag.* 39. Nestoriani Malabarenses semper in sua liturgia lingua *Syro-chaldaica* usi sunt, quemadmodum et alii, qui in urbe *Balch*, et in *Caschar* vel *Cattaya* habitabant; ut ex Syriaca inscriptione saeculi VII. in Sinis reperta Renaudotius *in op. cit. pag.* 242. 250. 265. egregie demonstrat, ubi P. Kircherum, D. Mullerum, P. Trigaultium et Coupletum scite confutat. Haec pauca de Nestorianis et Jacobitis elucidare oportuit, ut nostra series Episcoporum schismaticorum apertior et lucidior redderetur.

I. Erecto a Paulo V. anno 1605. Angamalensi Archiepiscopatu, reductisque pedetentim per PP. Carmelitas Discalceatos octuaginta quatuor parochiis a schismate, quod anno 1653. hanc dioecesim invaserat, Intrusis, qui gentilium Principium favore, ac pecuniis suis schisma sustinuerunt, superstites addictae manserunt ecclesiae seu parochiae triginta duae. Harum primus Antistes aliquo jure dici potest praedictus *Abatalla*, graeco nomine *Theodorus*, quem Malabarenses Patriarcham *Ignatium*

vocant, quod sub hoc nomine ad eos epistolam scripserit (1). Is anno 1652. die 3. Aug. in urbem *Mailápuri* appulit, ac anno 1654. Goae flammis datus interiit, neque umquam Angamalensem dioecesim adivit, cum a Lusitanis circumventus navi Goam conductus fuerit. Vide Raulin *pag.* 442. Asseman. *tom.* 4. *pag.* 462.

II. Anno 1653. die 22. Maii totius schismatis caput et coriphaeus, primus fictitius episcopus indigena Malabaricus, cum ea gens numquam antea proprios suae nationis episcopos habuisset, duodecim Sacerdotun Cassanariorum sacrilega chirotonia initiatus est *Thomas de Campo*, ex familia *Palamattam* in oppido Corolongatta oriundus. Quatuor autem sunt familiae *Parambil* seu *de Campo* dictae, 1. *Palamattam*, ex qua veteres Angamalensis ecclesiae Archidiaconi, quorum unus erat Thomas de Campo, 2. familia *Ciangurikel*, ex qua Georgius *Ciangúrikel* alumnus S. Congregationis, qui anno 1788. in Malabariam rediit, 3. *Pallì*, 4. *Kaliavangúare*. Hac 4. familiae ab uno stipite descendentes, quatuor diversa incolunt palmeta, a quibus illa quatuor nomina heic allata sortitae sunt. പറമ്പ *Paramba* nomen est genericum, quod vulgari Malaba-

(1) Istoria della vita del Ven. Fr. Gioseppe di S. Maria, Roma 1719. *lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 25.

n

rica lingua *palmetum*, *agrum*, vel *campum* sonat, unde Thomae huic episcopo intruso schismatico inhaesit nomen Thomae de *Campo*, quamvis sigillatim ex familia *Palamattam* esset oriundus; et idem nomen de *Campo* manet Episcopo Megarensi D. Alexendro de *Campo*, quamvis ex familia esset ab illa diversa, quae genericum illud nomen *Paramba*, vel *Parambil*, seu de *Campo* retinuisset. Periit primus ille Intrusus Thomas de Campo anno 1673. morte subitanea. Hunc annum ejus morti assignant omnes codices mss., aliaeque schedae in chartophylacio Missionis Verapolitanae exstantes, quarum exemplaria spectanda exhibere possum. Quare epochae, aliaque, quae Raulinius *pag.* 443. de hoc pseudoepiscopo affert, incerta et falsa sunt. Vide *Annali delle Missioni Apostoliche del Malabar*, pag. 12. Ad annum usque 1665. quo Gregorius Patriarcha Jacobitarum haeresim in Malabariam invexit, Schismatici Thomae de Campo sequaces orthodoxam fidem in synodo Odiamperitana stabilitam profitebantur, neque in alia re a Catholicis discrepabant, nisi quod Pontificis responsum ad agnoscendum suum pseudoepiscopum Thomam non expectandum esse contenderent, ei obedientiam praestarent, ac deinde Romano decreto de Thoma rejiciendo aquiescere nollent. At anno 1665.

invecta Jacobitarum haeresi, abjectaque veteri fide orthodoxa schismatici illi പുത്തന് *putten*, id est: *novae religionis* sequaces, catholici vero പഴയത *pageda*, id est: *veteris religionis* in synodo Odiamperitana stabilitae professores fuere denominati, quo nomine hodiedum gaudent. Novi sunt Jacobitae, veteres sunt Catholici.

III. Anno 840. urbis *Collam*, id est anno Christi 1665., non autem anno 1663. ut habet Raulinius, in Malabariam venit Gregorius Patriarcha, seu Hierosolymitanus Syrorum Metropolita ab Antiocheno Jacobitarum Patriarcha missus. Hunc schismatici Malabarenses *Patriarchisam* vocant, ut sanctum venerantur, eique novam suam fidem se debere sponte fatentur. Plures de eo exstant cantilenae Malabaricae, quas Schismatici in illius laudem decantant; et harum exemplaria a Georgio Sacerdote Schismatico ecclesiae *Parur*, ubi Gregorius sepultus jacet, accepta ego possideo. Hic coriphaeus Malabarensibus schismaticis, qui *Thomam de Campo* fictitium falsumque esse episcopum probe noverant, facile sua dogmata insinuavit. 1. odium in Romanum Pontificem, et in Nestorium, quos haereticos esse palam proclamabat. 2. Antiochenam ecclesiam orbis esse caput et matrem. 3. Unam

in Christo naturam divinam dari. 4. Spiritum S. a Patre quidem, non autem a filio procedere. 5. Animas in piacularibus flammis post mortem non purgari. 6. In fermentato consecrandum esse. 7. Pluviali, non autem casula vestitum sacra celebrari debere. 8. Quadragesimam veteri more decem dierum spatio post catholicos inchoandam esse. Haec fere sunt quae Gregorius docuit, et haec fidei capita hodiedum Schismatici Malabarenses profitentur. Obiit Gregorius anno 1672., ejusque anniversariam obitus diem Schismatici hodiedum magna contentione celebrant, ac ad ejus sepulchrum fructuum oblationes faciunt. Cui bono annua haec commemoratio et preces, si nullum purgatorium est? (1) uti illi ipsi blaterant.

Mores et fidei dogmata veterum Christianorum S. Thomae in Malabaria ante accessum Lusi-

(1) Renaudotius lib. cit. tom. 2. pag. 105. *in observationibus in liturgias Syriacas*, Thomam a Jesu carpit, quod Syros Jacobitas preces pro defunctis fundendas haud esse aliquando docuisse asseruerit. Renaudotius hujus Gregorii Jacobitae Syri doctrinam de purgatorio, ac de dilatione visionis beatificae usque ad judiici universalis diem, eique oppositam hanc Malabarensium pro defunctis orandi praxim ipsemet componat, et cor, ac mentem humanam invicem sibi dissentientem, si potest, conciliet. Non negamus in veteribus liturgiis Syriacis preces pro defunctis reperiri, sed quid novatores postea docuerint, ac hodiedum doceant, non minus notum et exploratum est. Vide infra ad annum 1685. Joannis et Basilii Jacobitarum de hac re doctrinam.

tanorum describit Josephus Indus Cranganorensis *cap. 134. in libro sup. cit.* Habebant sacerdotes, levitas, hypodiaconos. Infantes ante quadragesimum a nativitate diem non baptizabant, nisi ingruens mors urgeret. Peccata sua confitebantur, Eucharistiam summebant, latice benedicto corpora aspergebant, pro animabus defunctorum preces fundebant, in azymo, et vino ex uvis passis expresso celebrabant, divortia non admittebant, viduae intra annum luctus ad secundas nuptias non transibant, a die Parasceve usque ad Pascha cibo abstinebant, quadragesimam et adventum rigido jejunio intenti observabant; viri testabantur, et dum intestati decesserant, ii, qui arctiore gradu defuncto conjuncti erant, haeredes proximi succedebant, diem Paschatis, Pentecostes, Ascensionis, Epiphaniae, SS. Trinitatis, omnium Apostolorum, Assumptionis, Nativitatis, et Purificationis B. M. V. ritu publico celebrabant, monachos in continentia viventes habebant, ter in anno Eucharistiam sumebant, diem primam Julii, quae nobis tertia est, in honorem translationis corporis S. Thomae celebrabant, filiabus suis dotem assignabant, neque ad haereditatem admittebant, extremae unctionis sacramentum ignorabant. Haec sunt quae refert Josephus Indus. Paullo aliter P. Franciscus de Sou-

sa in *Oriente conquistado a J. C.* conquista 1. *pag.* 145. *et seq. tom.* 2., qui plures Nestorii errores iis adscribit. Exultat iis inspectis *La Crozius* dum crucem solam, non imagines ab iis coli, sacramentum extremae unctionis ignotum, confirmationem insolitam, B. V. Mariam non Dei, sed Christi matrem ab iis compellatam fuisse legit. Verum falsum est gaudium, quod ejus animum titillat, dum suo dogmati eos addictos fuisse existimat. Illi crucem venerabantur, et signo crucis se signabant, imagines sculptas, non pictas rejiciebant, jejuniis ecclesiae dediti erant, pro defunctis orabant, confessione peccata sua expiabant; quae omnia *La Croze* cum Lutherano dogmate conciliet. Extremae unctionis per *Ecclesiae presbyteros* faciendae meminit S. Jacobus Apost. in sua Canonica epistola, et S. Augustinus *serm.* 21. *de Temp.* ubi ait: *Unctionis Sacramento et sanitas animae, et peccatorum indulgentia confertur*. Et S. Joannes Chrysost. *de Sacerd.* lib. 3. *Secerdotes non solum cum nos regenerant, sed etiam postea condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent; Infirmatur inter vos aliquis, accersat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo*. Vide Pelliccia de Christianae ecclesiae primae et mediae politia *tom.* 2. *lib.* VI. *sect.* 2. *cap.* 3. Haec digessisse oportuit

La Crozium, antequam suae titillationi consentiret. Videatur etiam Arcudius *lib.* v. *cap.* 5. *et* 7. Hieremias patriarcha Constantinop. *in censura adversus Augustanam Luther. confessionem* lib. 1. *cap.* 7. Leo Allatius *de consensu eccles. Occident. et Orient.* lib. IX. *cap.* 16. Goarius, et Innocent. I. in epist. circa v. saeculi initium ad *Decentium Eugubinum* scripta, ac denique Benedictus XIV. in *Tract. de synodo dioeces.* lib. 7. cap. 16.

IV. Anno 1674. defuncto jam, ut diximus, primo illo pseudoepiscopo Thoma de Campo, Schismatici Malabarenses factioni illius addicti, in oppido *Angamali*, quod in novos et veteres christianos scissum fuerat, congregati eligunt in Thomae successorem, fratrem saecularem ejusdem Thomae, cui mitra imposita obedientiam praestant. At non duravit hic luxus. Octiduo exacto sacrilegus pseudoepiscopus fulmine tactus periit. Hic igitur secundus est *Thomas* ex familia *Palamattam*. Hoc consumpto, ne quid infectum relinquerent, *Angamala* in *Codamangalam* progressi, mitram imponunt hujus defuncti nepoti, qui pariter *Mar Thomas de Campo* vocatus, hos Schismaticos gubernavit. Hic iterum moriens sibi sufficit nepotem, de quo infra sermo recurret. Haec omnia ex litteris a P. Matthaeo a S. Joseph ad *D. Van Rheede* datis, ac

ex aliis schedis constant. Vide etiam in Annalibus P. Ildephonsi a Praesentatione epistolam a D. Alexandro de Campo anno 1676. die 9. Sept. Rapolino Romam ad S. Congr. de Prop. Fide scriptam.

V. Anno 1676. die 15. Oct. gubernabat quartus hic Thomas de Campo laicus intrusus, qui vixit usque ad annum 1686., quo novis Jacobitis Basilio et Joanni se opposuerat, ne ipse dignitate sua excideret. Impoenitens decessit anno 1686. mense Aprili, ut refert P. Bartholomaeus *Hanna* Syrus Alepinus in sua epistola hoc anno ex Malabaria Romam 2. Decembris scripta. Vide infra ad annum 1686.

VI. Anno 1676. seu anno 853. urbis *Collam* in Malabariam venit *Andreas* quidam schismaticus, qui se Patriarcham dicebat. Falsum Romani Pontificis attulit breve, quo se ab ipso missum simulabat; at PP. Carmelitae Discalceati *Alepi* Missionarii nunciabant: eum esse Sacerdotem Jacobitam discolum. Vino vehementer deditus erat, quare parum acceptus erat Schismaticis, qui Thomae de Campo partes sequebantur. Aliquo tempore versatus est in oppido *Callurcate*, deinde transivit in *Kallade*, ubi anno 1683. ebrius in flumen prolapsus mortuus est. Rudes illi australes schismatici eum *Kallade Muppen*, seu seniorem ecclesiae

in *Kallade* vocant, ac die illius anniversaria gallos gallinasque ad ejus sepulchrum offerunt, quem usum adhuc vigere comperi anno 1782. dum in *Vaypur* essem. P. Ildephonsus eum anno 1677. venisse scribit, et in *Cialacuri* obiisse; quod cum epistola P. Bartholomaei *Hanna* linguae Syriacae in Malabaria magistri, qui Andreae breve suppositium falsitatis coarguerat, non cohaeret.

VII. Anno 1685., seu anno urbis *Collam* 860. circa initium mensis Januarii in Malabariam venit *Joannes* episcopus Jacobita ex *Mosul* cum facultatibus Patriarchae Antiocheni. Hic se dicebat *Maphrianum*, sociumque habebat *Basilium*, qui simplicis episcopi titulo gloriabatur. Eorum comites erant duo clerici armeni, et unus graecus. Constat autem ex epistola P. Bartholomaei *Hanna* die 4. Nov. anno 1685. ex Malabaria Romam ad S. Cong. de Prop. Fide scripta, item ex litteris P. Angeli Francisci, Amandi, Innocentii, ac schedis D. Raphaelis de Figueredo ad hunc annum, Joannem fuisse verum episcopum Jacobitam, qui cum in Malabariam australem et quidem in oppidum *Palaya* advenisset, pluribus epistolis, elementis quidem Syriacis, phrasi autem Arabica scriptis, schismaticos ad disputandum provocabat, per easque errores suos spargebat. Opposuit se eisdem P. Hanna, et Tho-

mas de Campo intrusus, ob quam caussam versus boream progressi, Joannes paullo post obiit in oppido *Molanturuti*, Basilius autem in *Codamangalam*, ubi annua ejus parentalia schismatici celebrant. Concilium Chalcedonense rejiciebant; processionem Spiritus S. etiam a Filio negabant; duas in Christo naturas negabant; unam operationem, unamque voluntatem in Christo esse docebant; purgatorium negabant; in quadragesima usque ad Pascha nec ipsi Missam celebrabant, nec ab aliis dici volebant, exceptis dominicis diebus, quibus jejunandum non est. Visionem beatificam statim post obitum fieri negabant; stando, non genibus flexis orandum esse dicebant: sacerdotibus uxorem dabant; quo factum, ut multi clerici Malabarenses eas ducerent, cum antea iis carerent; a suffocatis abstinendum esse censebant, etc. quae omnia affert P. Hanna Aleppinus in sua laudata epistola. Joannes ex ecclesiis sculptas sustulit cruces et Imagines, pictas tamen veneratione dignas esse ajebat.

VIII. Anno 1686. obiit quartus Thomas de Campo, eique successit nepos laicus Thomas hoc nomine quintus, qui se a Basilio consecratum fuisse jactabat, quod tamen nulla publica auctoritate constat. De hoc Thoma de Campo indigena hujus nominis quinto ea omnia accipienda sunt, quae le

Quien , la Croze , Assemanus , Carolus Schaaf, ac Dani Missionarii scribunt . Vide Raulin *pag.* 444. 445. *et seq.* Hic, utpote Jacobita , Gabrieli Nestoriano restitit ; supplicem libellum anno 1704. ad Papam *Rapolino* a schismaticis missum sua manu subscripsit , de quo vide Raulinium , et Assemanum *tom.* 4. *bibl. orient. pag.* 300. Habitabat autem partim in oppido *Pattona Parur* , partim *Rapolini*, partim in *Cóttéta* et *Neranatta* . Omnis illius conatus et studium erat , ut sive a Pontifice Romano , sive ab Ignatio Patriarcha Antiocheno Malabariae episcopus institueretur , ita sperans fore , ut factio ejus accresceret , ac deinde ipse alios sive Catholicos , sive Jacobitas alienigenas expelleret .

IX. Anno 1708. mense Decembri navi Anglicana ex urbe *Madrast* ad litus Malabaricum in oppidum *Collam* appulit D. Gabriel Archiepiscopus Syrus , qui in subscriptione suae fidei professionis in *Cenzanur* et *Cianganaceri* anno 1712. die 3. Aug. a PP. Carmelitis ab eo postulata , se dicit Archiepiscopum Hierosolymitanum . D. Josephus Card. Sacripantes in epistola anno 1722. die 31. Jan. Verapolim scripta ait : *D. Gabriele asserto Arcivescovo d' Odurbigan anno* 1704. *mandò la sua professione di fede* (nempe Romam) ; quam cum saepe violasset , Emus Card. in praedicta epistola praecepit Missio-

nariis, ut eum falsum, subdolum, Nestorianum, perjurum, et circulatorem esse publico instrumento declarent. Infinita sunt disturbia quae hic Malabariae intulit. De eo diarium ms. D. Angeli Francisci Episcopi Methelopolitani, plurimae epistolae P. Innocentii a S. Onuphrio, P. Arsenii, D. Episcopi Limirensis, quae in scriniis Verapolitanis asservantur, obiit anno 1731. in *Còttèta* Nestorianus, qualis semper vixit, ut colligitur ex diario P. Bonifacii a Puero Jesu ad hunc annum. Implacabilis hostis Jacobitarum et Thomae de Campo, catholicos dolis, artibus, simulatione circumveniebat, et alliciebat, ut eos in suas partes pertraheret. Ex his certis monumentis corrigenda sunt ea, quae de hoc antistite habet le Quien et Assemanus apud Raulinium *pag.* 445. Ejus epistolae aliquae et monumenta, de quibus supra, ex parte exstant apud me, ex parte inter schedas conventus generalitii Romae.

X. Anno 1717., ut colligere licet ex epistola D. Limirensis ex Malabaria Romam scripta, supremum diem obiit quintus laicus intrusus Thomas de Campo, qui „ *in hora obitus sui imposuit mitram* (laico suo nepoti) *deditque in manu ejus baculum et annulum, id quod post ipsum fecerunt etiam alii* 12. *sacerdotes Cassanarii* „. Gabriel Nestorianus in sacerdotes ordinaverat plures Clericos Malabarenses,

et inter hos Georgium Sacerdotem seniorem ecclesiae *Tekenpallipuram*, ac *Muppen* seu seniorem Sacerdotem ecclesiae *Callurcate* quem utrumque ego novi, et a quibus plures notitias hausi. Ab hoc Gabriele sextus hic Thomas de Campo ex familia *Palli* anno 1731. in episcopum consecrari voluit, sed dum anhelanter ad eum properat *Còttetam*, Gabriel animam agens eo ni consecrato expiravit. Hic igitur Thomas anno 1720. die 25. Sept. ex oppido *Parur* epistolam scripsit ad Ignatium Patriarcham Antiochenum, a quo Patriarcham, Metropolitam, aut alium episcopum Jacobitam postulat, qui *Francis* in Malabaria exsistentibus se opponere, ipsum que consecrare possit. Litterae hae Amstelodamum missae fuerant, de quibus cum S. Cong. de Prop. Fide certior facta fuisset, aliquos monachos Maronitas in Malabariam mittere constituit, qui novo huic venturo antistiti se opponere possent. Haec in schedis meis. Vide Raulinium *pag.* 447. et Assemanum *tom.* 4. *bibl. orient.* pag. 464. ac 467., qui hanc Thomae epistolam Syriace exaratam exscripsit ex archivo S. Cong. de Prop. Fide. Hunc *Mar Thomam de Campo* ordine sextum, qui nomine, quo in baptismate insignitus fuerat, *Ausepu*, id est *Josephus*, episcopali autem *Mar Dionysius* vocabatur, ego anno 1785. die 22. Decembris, dum in Callurcate

versarer, cum sacerdote Alexandro Callurcatensi caussam ejus conversionis tractaturus in oppido *Neranatta* invisi. Dum cubiculum ejus ingressus sum, hominem vidi senem inter Cassanarios sacerdotes sedentem, candida et promissa barba instructum, argenteum pedum more graeco in superiori parte recurvum manu tenentem, cappa Pontificia indutum, capite mitram rotundam orientalium antistitum more phrygio opere cruce innexa gestantem, quam candidum velum ex capite in humeros defluens cooperiebat. Hunc cum longo discursu tentassem, virum reperi sane astutum, pro domo et dignitate sua magna sonantem, caussam conversionis suae in alia tempora differentem, ac ut nepos ei succedere possit, orantem. Novi feram ex cornubus, et ea relicta, expedito itinere Callurcatam redivi.

XI. Anno 1747. mense Novembri in Malabariam appulit Mar Johannes haereticus iconoclastes. Saepenumero schismatici apud Batavos Coccinenses urgebant, ut aliquem eis ex Mosul aut Perside episcopum advehant; qui Thomam de Campo in episcopum consecrare, et gregem schismaticum pascere possit. Postulationi eorum annuit Ezechiel hebraeus Coccini potentissimus mercator, qui navi Hollandica ex Bassora advehi fecit hunc alienigenam Johannem, quem verum fuisse hebraeum, Ezechielis

filius David mihi saepe candide fatebatur. Hic in oppido *Candenata*, in *Molanturuti*, in *Porrota*, in *Mulicolam*, aliisque ecclesiis schismaticis sanctorum ac ipsius Christi D. imagines et cruces igne cremavit, sacerdotibus uxores dedit, anno 1748. mense Augusto aliquarum ecclesiarum argenteam supelectilem furatus est, vinum egregie potavit, et ebrius varia disturbia excitavit. Quare inconsecrato Thoma de Campo, captus, navi impositus, anno 1751. Bassoram remissus fuit. Extat contra eum epistola Syriaca ab Emo Card. *Valenti* anno 1750. Verapolim ad P. Bonifacium a Puero Jesu missa. Vide de eo Anquetil *Zend-Avesta*, tom. 1. *Discours. prelim.* pag.clxii. *in notis*. P. Stephani a SS. Petro et Paulo *cod. ms.*

XII. Anno 1751. die 23. Aprilis in Malabariam appulerunt Mar Basilius, Mar Gregorius, et Mar Johannes Jacobitae, et cum his duo clerici Syri, unus ex *Diarbekier* oriundus nomine *Shekerallah*, alter nomine *Aday*, qui in *Mattincera* uxorem duxit, et quocum ego saepe locutus sum. Basilium *Shekerallah* Archiepiscopum misit Ignatius Georgius Patriarcha Antiochenus, et litterae ejus expeditionis fuerunt datae in Diarbekier anno 1749. die 23. Julii. Vide Anquetil l. c. qui pag. clxiii. de eo scribit : *Il avoit sur la tête, une espece de capuchon*

noir de toile, *dont le sommet étoit semé de croix*, *et une toque blanche pardessus*. „ Hic, mortuus est in *Mattanceri*, sepultus autem in *Candenata* post unum a suo adventu annum. Liturgia, quam in Malabariam attulit, erat S. Jacobi Episcopi Hierosolymitani, scripta Merdini, ubi residebat Patriarcha Antiochenus, qui Basilium et socios illius in Malabariam misit (1). Gregorius, quem Anquetil Georgium vocat, oriundus fuisse videtur ex Aleppo seu *Khalep*, ejus enim fidei professio quam exscripsit Anquetil pag. clvii. ita habet: *Nos Syrus Jacobita orthodoxus Christianus verus jure laudatus*, *credimus et confitemur secundum fidem trium SS. Conciliorum Niceni*, *Constantinopolitani*, *et Ephesini* (contra Nestorium) *Christum Deum nostrum Deum perfectum*, *et filium hominis perfectum esse sicut nos*, *excepto peccato*, *in unitate admirabili*, *et mirifica sine separatione*, *et sine mixtione unam personam et unam naturam incarnatam veri Dei incarnati*. *Haec scripsi manu mea debili ego Chorepiscopus Georgius Syrus Jacobita ex urbe Khalep anno* 1758. *primo Jan. V. st.* (12. Jan. n. st.). Hic, quem Malabarenses Gregorium vocant, obiit in Molanturti circa annum 1772.

(1) Liturgiam *S. Jacobi Apostoli fratris Domini* affert Renaudotius in liturgiarum orientalium collectione *tom.* II. *pag.* 29. An vero haec eadem sit cum illa, quam secum attulit Basilius, mihi non satis perspectum est.

quo Thomam de Campo seu Josephum ex familia *Palli* intrusum, in ecclesia *Neranata* praesente etiam *Johanne* Chorepiscopo, qui hodie in *Callicollam* habitat, in episcopum consecravit, qua consecratione peracta, *Mar Dionysius* vocari coepit. Dixerat autem mihi D. *Van Tongern* societatis Batavae Coccini interpres, vir catholicus et gravis, pro accessu horum trium episcoporum Basilii, Gregorii et Johannis, quos Batavi postulantibus schismaticis advexerant, duodecim millia rupiarum (6. millia scutorum Rom.) a Batavis persoluta fuisse, quae cum Schismatici numerare nollent, longa lite a rege Travancorensi anno 1775. ad solutionem coacti, consecrationem praedicti Thomae seu Josephi promeruerunt. Qua peracta et regimine suscepto, ac *Johanni* alienigenae victalitio assignato, ingentes illi tumultus, qui schismaticos longo tempore agitabant, conquieverunt. Porro diaconus *Merhel* et sacerdos *Elias* anno 1756. die 11. Julii Aleppo in Malabariam ad clericum *Tshekerallah*, horum episcoporum socium scribunt, Gregorium Episcopum salutantes, et eum ut verum episcopum reverentur, quem cum alio Georgio episcopo Aleppi degente, amicitia junctum esse dicunt. Epistola haec Arabica exstat in scriniis missionis Verapolit. Vide etiam Anquetilium du Perron *lib. cit.*

pag. clxii. et seq., qui episcopos hos vidit, eis collocutus est, ac multa de iis a D. *Van Vechten* urbis Coccinensis secretario didicit. Itaque Mar Dionysius indigena valide consecratus fuisse videtur, si valida accessit consecrationis formula. Mar Basilius Mattincerae uno ante obitum die consecravit alium indigenam, *Càttumàngnàden* dictum, qui *Mar Cyrillus* compellatus fuit. De hoc multa incerta narrantur, a Dionysio enim pulsus in *Anhur* exulare cogitur. Haec de episcopis schismaticis. Ex iis palam fit: 1. veram ac sinceram horum schismaticorum episcoporum conversionem rarissimam esse; cum iis omnino caute et prudenter procedendum, nec non nisi seria rerum periclitatione et pondere fidendum esse. 2. Verecundiae et pudori locum relinqui Catholicis, dum vident tanto zelo et ausu antistites schismaticos et haereticos errorum suorum monstra propagare, quantum vix habent antistites catholici in vera religione dilatanda.

ECCLESIA COCCINENSIS.

Anno Christi 1557. ecclesia S. Crucis in urbe Coccinensi postulante rege Portugalliae Sebastiano, a Paulo IV. in cathedralem erecta fuit per Bullam, quae incipit: *Pro excellenti praeeminentia*

Sedis Apostolicae, Romae apud S. Petrum an. 1557. pridie Nonas Februarii, Pontif. Pauli IV. anno tertio. Ante hanc erectionem ecclesiam hanc moderabatur unus Rector cum sex simplicibus beneficiis ecclesiasticis. In urbe residebat Indiae Prorex primis Lusitanicae prosperitatis annis, aderat conventus PP. Praedicatorum, PP. ordinis S. Francisci, et collegium Societatis Jesu, scholae publicae, xenodochium, et plures ecclesiae, quae omnes dirutae fuerunt anno 1663., dum Batavi Coccinum occuparunt, excepta ecclesia S. Francisci Franciscanae familiae addicta, in medio urbis sita, quam Batavi ejectis imaginibus, in suam orationis domum converterunt. Ecclesia Cathedralis S. Crucis in promptuarium mercium conversa, in quo hodiedum Batavi piper, cinnamomum, zacharum, oryzam, aliaque aromata et dapsilia commercii genera asservant. Per Bullam Gregorii XIII., *Pastoralis officii cura*, datam Romae ad S. Petrum die 13. Decemb. anno 1572. conceditur facultas episcopo Coccinensi, ut in casu vacationis primitialis ecclesiae Goanae, in illam sedem transire, eamque regere possit, ac debeat, relicto in sua ecclesia idoneo Vicario. Ex Bulla Pauli V. *Cum Nobis notum esset*, Romae anno 1609. data, ac ad D. Alexium Menezes transmissa, dioecesis Cocci-

nensis sunt ea loca, oppida, vici, et ecclesiae, quae in Coccinensi peninsula ab *Angicaimal* et *Bendurti* versus austrum excurrunt, ac omnis regio ex fluviis ad mare usque vergens, dummodo ditio episcopi non plusquam una *leuca* a mari intra mediterranea recedat. Vide opus inscriptum: *Bullarum Collectio etc.* Ulyssipone anno 1707., et in specie litteras D. Alexii de Menezes, *D. F. Alexius de Menezes*, datas Goae anno 1610. die 22. Decemb. Amplissima itaque est dioecesis Coccinensis, ea enim excurrit ab urbe Coccinensi per totum litus maris usque ad promontorium *Comorinum*, ex quo ad oram *Piscariae* versus ortum vergendo, transit ad urbem *Négapatnam* in ora Coromandel, ubi desinit (1). Ecclesiae in ea sunt prope infinitae, cum in solo littore Malabarico usque ad promontorium Comorinum piscatorum majores et minores numerentur quadraginta duae, quas olim quidem PP. Societatis Jesu, deinde PP. S. Francisci Observantes, nunc Clerici indigenae Goani administrant. Ab anno 1542. majorem hujus dioecesis partem obivit et laboribus suis Apostolicis illustravit S. Franciscus Xaverius, qui plerasque ab oppido *Collam* usque ad promontorium Co-

(1) Confer de his missionibus et Christianis Jo. Alberti Fabricii, *Salutarem lucem Evangelii*, cap. 36. *De restauratione Christianismi in India orientali*, ubi elenchum variorum librorum de his missionibus tractantium affert, ex quibus plura haurire poteris.

morinum, et in ora *Piscaria* fundavit ecclesias. Erecta cruce, ex ramis et foliis palmarum construebantur aediculae, Lusitanis *Ramàdas* dictae, quae deinde pedetentim in ecclesias calce et cimento constructas transierunt. Vide de his, *Oriente conquistado a J. C.* conquista 2. divisao 1. *pag.* 229. *et alibi passim*. Confer *lib.* 1. epistolar. S. Francisci Xaverii. Celebriores ecclesiae in littore Malabarico seu illo terrae tractu, qui Coccino versus austrum usque ad promontorium Comorinum protenditur, sunt: Ecclesia *S. Andreae*, quae anno 1581. constructa fuit. Ad eam Christianorum et gentilium multitudo infinita die 20. Januarii singulis annis confluere solet, ubi festum celebrat S. Sebastiani contra variolas, morbum in Malabaria crudelem et epidemicum, Patroni. Insignes sunt etiam parochiae in *Collam*, *Anjenga*, oppido Anglis subjecto, in *Valiatorra*, *Tiruvancor*, *Cottèta*, *Coleci*, *Cariapatnam*, *Vadakencollam*, in promontorio *Comorino* (1),

(1) Promontorium *Comorinum*, Malabarensibus *Cumari*, id est *virginis* promontorium dicitur, quia in mari, quod illud alluit, veteres *Brahmanes* statuam deae *Cumari*, id est, *virginis* lustrabant, et lavabant. Est autem haec virgo ipsa dea *Bhadracàli* seu *Venus Urania*. En quid de hac lustratione referat Arrianus in Periplo: *Ab Elabacare dicta mons Pyrrbus* (qui hodie *Bringiam* est), *alia sequitur regio* Paralia *nuncupata ad austrum spectans*, *in qua* pinici *est piscatio sub rege* Pandione, *nec non urbs* Colchi *dicta*. Regnum *Pandionis*, id est, *Pandi* seu *Madure* desinit ad latus orientale promontorii

et in ora Piscaria ecclesia *Manapar* et *Tutucuri*, quas anno 1566. Georgius Themudo Ord. Praed. Episco-

Comari, et ibi incipit ora *Piscaria*, a piscatione margaritarum (quae ut recte Dodwell in hunc Arriani locum animadvertit, est *pinici piscatio*), etiam apud veteres celebris. Hanc oram Arrianus *Paraliam* nuncupat, quae corruptio est vocabuli *Parava*, quod gentis illam oram incolentis nomen est: unde etiam hodie Gallis est, *la côte Paravà*. Ibi pariter ad latus promontorii orientale exstat oppidum *Covalam*, et ad latus occidentale paullo versus Boream sita est urbs *Coleci*, quarum una certissime est Arriani *Colchis*, et Ptolemaei *Colchi* κολχοί *emporium*. Unde idem Ptolomaeus *geogr. vet.* lib. 7. cap. 1. *fol.93.* paullo supra *Ajorum* urbes in hac ora sitas describens ait: *In sinu Colchico*) qui hodie est sinus *Manar*) *colymbesis pinici* κολυμβησις πηνικον, nempe piscatio pinici. Et ibi pariter immediate post *Cory* (id est *Comari*) promontorium urbem *Argari* collocat, quae sine dubio est urbs *Arampuli*, a textura sindonum celebris, quae promontorin *Comari* ad latus orientale paullo plus intra assidet. Prosequitur Arrianus: *Primus locus Balita* (id est, *Balia torra* versus Borream longius a promontorio). *qui portum habet* (quem rex *Ráma Varmer* restauravit) *pulchrum atque vicum maritimum. Post hunc alius sequitur locus Comar* (Comari) *nomine. In illo est castellum atque portus* (pro parvis navigiis). *Quem ad locum aquis se ibi abluendi, et lustrandi gratia commeare solent illi, qui omni reliquo vitae suae tempore, religiosam atque viduam vitam agere cogitant*) nempe Samanaei). *Litteris enim memoriaeque proditum est, Deam* (*Cumari virginem*) *olim singulis mensibus ibi lavari fuisse solitam. A Comari regio quaedam ad Colchos* (ad Covalam) *porrigitur, in qua margaritarum est piscatio. Hujus regionis pars, quae est versus meridiem* (versus ortum) *Pandionis subjecta est imperio*, id est, regio est subjecta regi *Pandi*, qui est rex *Madure*, olim in *Badagare*, non autem in urbe *Madure* habitans. Notissima itaque fuit veteribus ora *Malabaridis* et *Piscariae*. Ad hos portus, ut idem refert Arrianus, naves Aegyptiacae, Persicae, et Graecanicae adventabant. Confer Ptolomaeum *l.cit.* et Plinium *hist.nat.* cap. 22. et 23. qui insulae *Taprobanes* seu *Cellan* habitatores ex Megasthene *Paleogonos* nuncupabat, quod iterum corruptum est a Malabarico vocabulo *Páleagar*, seu *domini turmarum*, quas senior ex iis de loco in locum conducebat.

pus Coccinensis prima vice lustravit. Ecclesia Vaypin, Mattincera, Pallurti, S. Luis, Castella, Angicaimal, Cettiati, Manacord, S. Andreae, aliaeque, quae in agris et palmetis Societati Batavo Coccinensi subjectis sitae sunt, Vicario Apostolico parent, et ab his longe abesse cogitur Episcopus Coccinensis Lusitanus, qui in *Collam*, *Anjenga*, aut alio orae *Travancorensis* loco residet, dum in sua dioecesi versatur. In solo Vicariatu Apostolico, cujus caput est Ecclesia *Verapolitana* S. Joseph sacra, tribus fere leucis Coccino dissita, exclusis Christianis Thomaeis *Nasrani* dictis, qui ritum Syro-chaldaicum sequuntur, latini ritus numerantur sexaginta circiter millia Christianorum, qui ab uno fere saeculo ad fidem Catholicam conversi, patrocinio gaudent Batavorum, pro quibus secundum formulam juramenti, quod in secretaria Coccinensi a Parochis indigenis exigitur, arma capere, et urbem defendere coguntur. Eadem juramenti formula eos obligat ad renuntiandum omni temporali et spirituali potestati et jurisdictioni regis Lusitaniae et episcoporum Lusitanorum, quam irritam esse volunt in omnibus ecclesiis jure temporali sibi subjectis, aut in ditione regum amicorum gentilium constitutis. Formula hujus juramenti apud me, et in secretaria Coccinensi, ex qua eam descripsi, exstat.

EPISCOPI COCCINENSES.

D. Georgius Themudo ord. Praed. consecratus die 4. Febr. anno 1558., praesedit primae synodo Goanae pro D. Gasparo Pereira Archiepiscopo Goano. Translatus ad sedem Goanam (1).

II. D. Henricus de Tavora ord. Praed. in Indiam profectus anno 1576., ex Coccinensi sede Goam translatus, ibidem decessit.

III. D. Matthaeus de Medina ord. militiae Christi, anno 1588. ex sede Coccinensi ad Goanam translatus. Electus fuit anno 1577.

IV. D. Andreas a S. Maria ord. Recollectorum S. Francisci provinciae Matris Dei in Oriente, rexit ab anno 1588. usque ad annum 1616., quo renuntiavit. Hujus insignis viri meminit Cardosus in *Hagiologio Lusitano* ad diem 27. Maii. Exstat ejus epistola anno 1599. die 18. Junii Coccino ad Sy-

(1) Catalogum Episcoporum Coccinensium ab anno 1557. usque ad annum 1722. exhibet *Antonius Caetanus de Sousa* in commentariis academiae regiae Ulyssiponensis, anno 1722. Hunc eumdem historica notitia auctum correctum heic trado. Confer Gilberti Gonsales d' Avila, *Theatro ecclesiastico de la primitiva Iglesia de las Indias orientales, vidas de sus Arzobispos, y cosas memorables de sus sedes*. Madrit 1749. vol. 2. Item *Francisci Barreti* relationem status Christianitatis Malabaricae, Romae 1645. *Vischerii* Ecclesiastis Coccinensis Calvinianae sectae addicti, relatio ms. Malabaridis, quam legi, nec ubique exactae probitatis est, nec ab amarulenta dicacitate atque calumniis in Romanos presbyteros injectis aliena.

nodum Odiamperitanam data, ac ejusdem synodi responsum, apud Raulin *pag.* 276. *et seq.* Eadem exstat apud me in *cod. mss.* Lusitano, qui ipso celebratae synodi tempore conscriptus fuit. Hic Episcopus aegre tulit separationem parochiae Cranganor in sua dioecesi sitae a Paulo V. factam, et ejus erectionem in Archiepiscopatum Cranganorensem. Vide Breve Pauli V., *Cum nobis notum esset*, datum Romae anno 1609.

V. D. Antonius Serrao Ord. Praed. electus renuntiat.

VI. D. Antonius de Bèja ord. S. Francisci prov. pietatis alumnus, electus, dignitate se abdicat.

VII. D. Emanuel ab Horto ord. S. Francisci, electus renuntiat.

VIII. D. Sebastianus a S. Petro ord. Erem. S. Aug. primo Episcopus Maliapurensis, deinde Coccinensis, ac tandem Goanus.

IX. D. Ludovicus de Brito de Menezes ord. Erem. S. Aug. anno 1628. Episcop. Coccinensis, obiit anno 1629. die 29. Julii.

X. D. Michael Rangol ord. Praed. vir Apostolicus, pius, et indefessus, anno 1635. omne decus virtutis summae regendi peritiae conjungens moderabatur ecclesiam Goanam, ut videri potest in historia fundationis conventus S. Monicae Goae; an-

no vero 1645. et seq. praesens aderat in sua dioecesi Coccinensi, quam ab innumeris abusibus et criminibus expurgavit. Obiit anno 1646., ut habent schedae Missionis Verapolitanae. Hoc eximio et probatissimae vitae viro e vivis sublato, lugubris dioecesis Coccinensis a Canonicis D. Paschali de Rego, Raphaele de Figueredo Salgado, et Didaco Laurentio regebatur usque ad annum 1663., quo Coccinum in Batavorum manus devolutum est. Exinde dioecesis haec usque ad annum 1700. nullum alium vidit Pastorem, quam D. *Petrum Pacheco*, qui praedicto anno 1700. appulit Calicutum, Tanùr, et Collanum. Quare summa tunc erat in dioecesi Angamalensi et Coccinensi alicujus Vicarii Apostolici necessitas, et nisi Alexander VII. D. Josephum a S. Maria Episcopum Hierapolitanum misisset, tota probabilius in iis Catholica religio periisset.

XI. D. Joannes Coelho ord. B. V. M. de Monte Carmelo ant. observ. electus a rege Joanne IV. die 18. Octob. anno 1650., non fuit consecratus.

XII. D. Ferdinandus ab Incarnatione de Menezes ord. Praed. electus, obiit anno 1657. in regno Algarbiae.

XIII. R. P. Franciscus Barreto S. J. natus in Montemor novo, electus Episcopus Coccinensis obiit Goae anno 1663. die 26. Octobris. Exstat ejus

relatio Missionis Malabaricae typis edita Romae anno 1645. In ea missiones PP. Societatis Iesu in ora Travancoridis, Piscaria, et Coromandelica distincte describit.

XIV. D. Bernardus a. S. Maria Canonicus regularis, electus anno 1672. renuntiat.

XV. D. Fr. Fabianus a Regibus ord. B. M. V. de monte Carmelo ant. obs. electus anno 1672. non accessit, sed translatus ad Ecclesiam Hesperidum (Cabo Verde), ut liquet ex catalogo episcoporum hujus ecclesiae.

XVI. D. Petrus de Silva ord. Erem. S. Aug. electus anno 1687. quo Goam profectus rexit ecclesiam Goanam.

XVII. D. Petrus Pacheco ord. Praed. litteris Innocentii XII. creatus anno 1694. Episcopus Coccinensis, lustravit dioecesim anno 1699. et 1700.

XVIII. D. Franciscus de Vasconcellos S. J. confirmatus a Clemente XI. anno 1721., habitabat in oppido *Mampulli*, in quo prima sacra aedicula constructa fuit a S. Francisco Xaverio, quae cum concidisset, anno 1568. nova fuit excitata ecclesia, quam ad meliorem statum reductam incoluit D. Franciscus de Vasconcellos jurispatronatus accerrimus defensor. Exstat ejus longa epistola, quam anno 1722. die 16. Octob. *Collano* Romam ad Eminent.

Card. S. Congr. de Prop. Fide Praefectum perscripsit contra D. Limirensem Vic. Apost., quem ut sui juris violatorem accusat.

XIX. D. Clemens Josephus Collaco Leitao S. J. creatus anno 1745. die 8. Martii. Habitabat in oppido *Anjenga*, obiit in *Collam* in Ecclesia dicta *Mudàcra*, ubi conditus requiescit. Exstant ejus epistolae duae ms. lingua vulgari Malabarica, quibus se et Christianos regi Travancorensi anno 1755. commendat, et aliae, quibus apud eumdem regem contra episcopos schismaticos alienigenas, qui catholicum gregem dirripiebant, auxilium implorat.

XX. D. Emanuel a S. Catharina Carmelita Discalceatus creatus anno 1778. die 20. Julii, translatus anno 1783. Goam, neque umquam dioecesim Coccinensem adivit.

XXI. D. Josephus a solitudine Carmelita Discalceatus, socius D. Emanuelis a S. Catharina, creatus Episcopus Coccin. anno 1783. die 16. Julii. Habitat Collani in Ecclesia S. Thomae. Vir asperi ingenii et nemini indulgens, infinitos in ora Travancoridis excitavit tumultus.

Ex his omnibus patet: paucos Coccinenses Praesules suam dioecesim adivisse, ac proinde potiori tempore sedem illam vacasse.

Tota illa regio in qua dioecesis Angamalensis

et Coccinensis sita est, vocatur *Malabar*, seu proprio Indico nomine മലയാളം *Malayálam*. മല malá *mons*, Lusitanis *serra*, ആളം álam seu Samscrdamice ആലയ álayá, *habitatio*, *regio*, vel ആലം álam *extensio*: unde fit etymon vocis, *montium extensio*, *montium regio*, montium habitatio, Lusitanis *serra de Malabar*. A Borea monte *D'Illy*, ab occasu *mari*, ab austro promontorio *Comorino*, ab ortu montibus *Ghates*, qui eam a littore *Coromandel* separant, clauditur. Vide Sonnerat, *Voyage aux Indes*, tom.1. cap. 3. pag. 59. *De la Côte Malabar*.

ECCLESIA MAILAPURENSIS

SEU S. THOMAE.

Coromandel vocabulum corruptum est ab Indica dictione ചോളമണ്ഡലം *ciólamandalam*, seu ad indolem Lusitanicae linguae scribendo, *chólamandalam*. Chóla vel tshóla est *milium*, mandala autem *regio*, unde fit *milii regio*, quia in litore Coromandelico revera milii magna copia crescit, quod illa gens circa tuguriola sua serit. Meliapur vocabulum corruptum est a *Mailapuri* മയിൽ Mail, *pavo*, പുരി puri, *urbs*, *civitas*, unde exsurgit etymon

vocis Mailapuri , *pavonum urbs* , quia in ea olim frequentes erant pavones , ut hodie sunt in multis Indiae locis (1) . Sita est una versus austrum leuca ab urbe Madrast , quae sub gradu 13. et 18. scrup. latit. septentrionalis jacet . Hanc , veterem Ptolemaei *Maliarpam* esse , mihi extra omnem dubitationis aleam positum est . Vide D' Anville , *géographie ancienne*, à Paris 1758. tom.2. pag. 361., et insignem orae Coromandelidis mappam D. De la Tour anno 1770. , Parisiis vulgatam , ac *Théatre de la guerre dans l' Inde* inscriptam . Celebre hoc antiquitus emporium fuit , ait enim Ptolemaeus (2) : *Chaberi* (hodie Cavéri) *fluvii ostia* , *et Maliarpa* (corruptum a Maliapur) *emporium et locus unde solvunt, qui in Chrysam navigant* . Fluvii *Caverii* ostia utpote tunc notioris, ac urbis *Maliapur* mentio heic palam in-

(1) *Il Santo buomo di Dio* Tomaso *era venuto a predicare alla città di* Calamina , *quale li paesani chiamavano* Meliapor (Mailapuri), *che vuol dire Pavone*. Vita S. Franc. Xav. *lib.* 3. *cap.* 3. *pag.*131. Romae 1613. Interprete P. Ludovico Mansonio .

(2) Ptolemaei *geogr*. lib.7. tab.x. cap.1. pag. 117. edit. Lugd. , et in edit. Argentorat. lib. 7. tab. x. fol. 93. , ubi postquam attulit μαλιαρρα *Maliarpha emporium* , subdit : *Maesoliae Maesoli* μαισωλου *fluvii ostia* , et deinde post tria locorum nomina : ἀφετήριον *id est dimissorium ad Auream navigantium* . Ex quibus perspicis : Maliarpa *Maliapur* , Maesoli autem *Masulipatan* esse , ubi fluvii Masulipatan ostia sub gradu lat. 16. , et Maliapur sub gradu 13. et 15. scrup. situm est . Quae quidem Ptolemaei loca , Maliapur et Masulipatam esse , non diffitetur D' Anville , *Géographie ancienne abregée* , tom. 2. pag. 361.

geritur, atque ex hac urbe navigatio in *auream Chersonesum* seu in regnum *Pegu* asseritur, quae revera etiam his postremis Lusitanorum temporibus ex illa urbe procedebat. Vide Lopez, *Indiae Orientalis part. septimam*, Georgii Spilbergi, et Caspari Balby navigationes sistentem, Francofurti anno 1606. cap. 34. pag. 93. *Descriptio civitatis Sancti Thomae* (quae Indis est Mailapuri), et cap. 35. pag. 96. *De itinere ex S. Thoma usque Pegu*. Confer auctorem Peripli maris Erythraei ad illa verba: *Postea Naura et Tyndis, quae prima sunt Limyricae emporia*. Ubi palam et aperte emporium *Naour* seu *Naur* nominat, quod intra *Nagapatnam* (veteribus *Negama*), et oppidum *Karical* situm est. Tale fuit *Maliarpa* seu *Maliapur*, ex quo naves ultra ad orientis plagas profecturae solvebant. Et Strabo lib. 15. *Mercatores, qui per Nilum, et Arabicum sinum ex Aegypto in Indiam navigant, pauci admodum in Gangem usque perveniunt*. Vide Acta primorum MM. sincera Theodorici Ruinart, Parisiis 1689. *pag. 632. et seq.* ubi multa de Persidis Christianis veteribus refert. Poterant ergo Aegypti et Persidis mercatores Indici maris litora legendo ad urbem Naúr, Tyndi seu Tindacalla, Maliapur, et usque ad Gangem accedere. Quis igitur negabit et S. Thomam Apost. in *Maliapur* advenire, et ibi martyrium subire po-

tuisse? (1) Talis certe de S. Thomae Apostolatu est traditio Catholicorum et Schismaticorum (2), qui excitata in urbe *Mailapur* contra hunc S. Apostolum persecutione, se per montes, per quos tempore Plinii, Ariani, Ptolemaei, Strabonis, dum Indica navigatio non tam frequens erat, merces ex Gange in *Cottate*, et *Argaropolim* hodie *Arampuli* ad littus Malabaricum pedestri itinere transferebantur, in Malabariam transivisse fatentur. Talis est etiam traditio Arabum apud Abbatem Renaudotium (3), qui S. Thomam in India praedicasse ex Arabum traditione docet, quamvis eum in Sinas perexisse

(1) *Obiit* (S. Thomas) *Calaminae civitate Indiae*. Dorotheus Episcopus Tyri in synopsi de XII. Apostolis. *Lustravit* (S. Thomas) *Bracmanos*, *Indos*, *aliasque finitimas nationes*. Theodoretus lib. 9. de verit. Evang. *Thomae India patuit*. S. Ambr. in psal. 45. *Parthia Matthaeum complectitur India Thomam*. S. Paulinus carm. 27. *Cum Thoma in India Christus Dominus erat*. S. Hieronymus epist. 148. Quid, Manes, Manetis discipulus Thomas, Apollonius Tyanaeus, aliique veram Indiam petere possint, et S. Thomas Apost. divino spiritu afflatus non possit?

(2) *Confiteor*, *quod anno J. C. 52. venit in Malabariam S. Thomas, et nos convertit ad Baptismum.* Thomas de Campo antistes schismaticus in *epistol.* ad Benedictum XIV., cujus exemplar apud me exstat. Confer Oriente conquistado, *tom.* 1. *conq.* 1. Raulin, *pag.* 341.

(3) *Nos deux Auteurs* (Arabes) *parlent de* Baïtouma, *comme d'une place connuë sur la côte des Indes*, *et ce mot signifie la même chose que* Beit-Thoma, *la maison ou l'Eglise de Saint Thomas* (ecclesia nempe *Mailapur* ab Arabibus et Lusitanis *S. Thome* dicta) Renaudot., *Anciennes relations des Indes de deux voyageurs Mahometans*, à Paris 1718. *pag.* 231.

neget. Talis est traditio Ethnicorum Malabarensium et Coromandelensium ex confessione ipsorum nostri aevi haereticorum (1), ait enim *Georgius Spilberg* de civitate S. Thomae loquens: *Quos redditus Clerici in hac civitate habent; eos Ethnicis acceptos referre coguntur, qui licet infideles sint, in honorem tamen et recordationem Apostoli Thomae, qui multis ibi miraculis paulo ante mortem suam inclaruisse legitur, fratres ejus, Canonicos nempe, modis omnibus juvant, et promovent*. Confer Anquetil du Perron in *Zend-Avesta*, disc. prélimin. tom. I. *pag.* clx. et *pag.* clxxix. in notis, qui falsas esse reputat illas difficultates, quibus S. Thomae praedicationem in India septam fuisse aliqui opinantur. Saeculo primo India mari et terra petebatur, ut nunc petitur. Vide Robertson, *An historical disquisition concerning ancient India*. London 1791. *vol.* I. ubi Plinii locum de navigatione Indica egregie pertractat. Neque vero communem hanc omnium gentium traditionem evertere poteris si cum Tillemontio, Tollio, et La Croze pag. 62. *Hist. Christ. Indici* dicas: non S. Thomam Apostolum, sed Thomam Manetis discipulum Indis circa annum 277. Evangelium praedicasse. Nam pri-

(1) Indiae Orientalis pars VII. *Georgi Spilbergi* navigationem sistens, Francofurti 1606. pag. 94.

mo quidem, non huic Thomae Christiani, Muhamedani, et ethnici hanc praedicationem adscribunt, non hunc in *Mailapuri* venisse, ibi mortem opetiisse, ac miracula patrasse docent. Deinde S. Epiphanius (1), qui Manetis ejusque discipulorum circuitus, ac disputationes cum Archelao in urbe *Cashgar* habitas describit, distinctis verbis docet: Thomam hunc Manetis discipulum comprehenso et abducto a rege Persarum Manete, non in Indiam, sed in *Judaeam* aufugisse. *Hermas in Aegyptum profectus est, quo cum plerique* (discipuli) *versati sunt . . . Addas in superiorem regionem abiit, Thomas in Judaeam*. S. Epiph. *tom.* 2. *pag.* 629. Imponit ergo nobis Tillemontius et La Crozius, dum ex futilibus conjecturis Indicam praedicationem Evangelii *Thomae* Manetis *discipulo* adscribendam esse censet. Anno 1729. in Maliapur ab Episcopo *D. Iosepho Pinheiro* apertum fuit sepulchrum, quod S. Thomae Apostolo adscribitur. En ipsius Episcopi verba in epistola ad quemdam nostrum Missionis Verapolitanae Patrem exarata, cujus autographum inter cimelia archivi Verapolitani hodiedum asservatur. *Anno* 1729. *mense Aprili apertum fuit sepulcrum* (S. Thomae attributum), *ut*

(1) *S. Epiphanii opera omnia*, Parisiis 1622. tom II. lib. 2. *adv. haer.* pag. 622. 623. et seq.

terra peregrinis distribueretur. Aperta autem fuit superior pars loci intra sacellum ad orientem ubi prius altare extructum fuerat. Vidimus in marmore defosso insculptam effigiem S. Thomae habitu talari, in sinistra librum ad pectus tenentis, et dextera benedicentis. Cavata terra ad sex pedes romanos profunditatis, inventum est rudus novum ex calce et minutis particulis marmoris confectum firmissimum crassum quatuor digitos, deinde apparuit lapis marmoreus quadratus latus tres pedes, in cujus angulis quatuor sunt aperta sepulcra parva in figura quadrata, deinde visi magni lateres calce bene ligati sub arena inter lapidem et lateres sparsa. Lateribus his fractis apparuit terra mobilis, quae tantum occupabat locum, quantus esset satis ad humanum corpus humandum, et non plus. Ipsa 29.die splendor quidam vivus et clarus apparuit, de qua re septem testes de visu jurati et examinati ita deposuerunt. An locus hic sit verum sepulcrum S. Thomae, definire non audeo, ideo rem ad S. Congregationem rituum remisi. Haec omnia praedictus Episcopus scripsit manu propria, ex cujus autographo ego ea Verapoli anno 1783. descripsi. Vide de S. Thoma ejusque praedicatione et morte in urbe Mailapur, Raulin *pag. 335. et seq.* ubi haec uberrime pertractat.

Quoniam vero traditioni de Indica S. Thomae

praedicatione, ac de ipsa ejusdem Sancti Apostoli corporis depositione in urbe *Mailapuri* facta, adversatorem habemus Tillemontium, La Crozium, Combefisium, operae pretium est: hoc argumentum diligentius enucleare. Martyrologium Romanum ad XII. kalendas Januarii habet: *Calaminae natalis beati Thomae Apostoli; qui Parthis, Medis, Persis et Hyrcanis Evangelium praedicavit, ac demum in Indiam perveniens, cum eos populos in Christiana religione instituisset, regis jussu lanceis transfixus occubuit: cujus reliquiae primo ad urbem Edessam, deinde Othonam translatae sunt*. Non ergo sunt in urbe *Mailapuri*, ait Pagius; ubinam in Indià haec *Calamina*, quaerit Tillemontius; an Thomas hic Indicus praeco non est Thomas Manetis discipulus, percontatur la Crozius. Si rationes et conjecturas, quibus interrogationes suas fulciunt, acrius expendas, eae in fumum abeunt. Malabarenses Nestoriani olim, et hodierni Catholici translationem corporis S. Thomae ritu publico celebrant, eamque ദൊഹറാന *doharána* vocant. Josephus Indus Cranganorensis *cap.* 134. *in lib. cit.* mores et ritus Christianorum ante accessum Lusitanorum in Malabaria vigentium describens ait: *Primum diem Julii mirum in modum custodiunt in memoriam Divi Thomae Christiani pariter ac gentiles*. Nempe ex

veteri eorum disciplina , et mensili dierum computo ea die *Doharána*, id est, translationem exuviarum *S. Thomae* celebrant, quae quidem translationis festivitas jam satis indicat: S. Thomam in India occubuisse , ac inde corpus ejus translatum fuisse ; quis enim tranferat hoc , quod ibi numquam exstitit? An vero pars tantum corporis, an brachium, an integrum corpus translatum fuerit, parum nostra interest inquirere. Potuit pars transferri, pars relinqui, neque ideo martyrii locus negandus est, quia Edesseni , Indi, Arabes, Persae, Itali corpus S. Thomae se possidere gloriantur. S. Gregor. Turon. *De glor. MM. cap.* 31. *pag.* 70., S. Joannes Chrysostomus *hom.* 26., Ruffinus *lib.* 11. *cap.* 5., Baron. *ad diem* 3. *Iulii*, Gilo Parisiensis *lib.* 3. *de Expedit. Hierosolymitana* apud *Martene tom.* 3. *Anecdot.* translationis S. Thomae ex India Edessam distinctis verbis meminerunt.

Hic etiam Thomae, qui Christi vulnera sensit,
Corpus ab Indorum regionibus esse delatum
Creditur.

Gilo Parisiensis. Et in Hagiologio ms. Florentinii dicitur: *Supplicantes Syri Alexandro Imperatori Romano: impetrarunt hoc, ut mitteret ad regulos Indorum, ut redderent defunctum* (Apostolum Thomam)

civibus . Sicque factum est , ut translatum esset de India corpus Apostoli , et positum in civitate Edessae in loculo argenteo . Confer Tillemont. in *Alex. tom.* 3. *pag.* 198., qui hoc anno 233. gestum fuisse existimat, atque Alexandrum Imp. ea tempestate Syris valde favisse non negat.

Quod vocabulum *Calamina* attinet, fateor illud urbi *Mailapuri* addici non posse. കല്ല calla Malabarice et Tamulice *lapis*, *saxum*, *rupes*, മേൽ mel *supra*, നിന്ന nina *ex*, Callamelnina *ex rupe*, *ex saxo*. Supponamus S. Thomam non ex ipsa urbe *Mailapuri*, sed ex ejus suburbio, quod Lusitani *monte pequeno* vocant: ubi mons est seu rupes, in qua Indi S. Thomam lancea confixum, atque corpus ejus conditum fuisse asserunt; in *Edessam* translatum fuisse. Tunc ergo corpus ejus ex *Callamelnina* in Edessam translatum fuit, id est, *ex rupe*, *ex monte*, *ex saxo* sublatum, et translatum est. Pleraque Indica nomina a Graecis, Syris, Arabibus et Lusitanis corrupta fuisse novimus. Barace pro *Barcelúr*, Calliana pro *Caliánapuri*, Cranganor pro *Cudungalúr*, Meliapor pro *Mailapuri*, Argari pro *Arampuli*, Colon, Colis et Colias pro *Covalam*, aliaque corrupta et vitiata fuisse supra vidimus, atque ad evidentiam usque demonstrare possemus.

Quis igitur non suspicetur, *Calamina* martyrii et depositionis locum S. Thomae, non esse *Calamel*, in *rupe*; vel ejus translationis locum non esse *Calamelnina*, *ex rupe*, *ex monte*, et suburbio Mailapurensi, quod hodie monte pequeno, *mons parvus* dicitur? Ibi hodiedum ecclesia ejus exstat, in qua Indi Tamulenses, et mihi, dum ibi locum depositionis S. Thomae ex iis quaererem, et aliis eumdem esse affirmabant. *Malanina* ex monte, substitue litterae *M.* litteram *C.*, erit *Calanina*, parum absonum a dictione *Calamina*. Qui derivationem *Calaminae* ab hoc Indico vocabulo negant, urbem *Calamina* in India, Perside aut Syria nobis (1) monstrent.

(1) D. Le Gentil, *Nuovo Viaggio all' intorno del Mondo*, Venet. 1762. *tom.* 2. *pag.* 126. *Lettera* XII., de Calamina ita disserit: *Eravi* (in India) *altre volte una città chiamata* Calamina, (*che è stata distrutta nella guerra tra' Francesi, e Portoghesi*) *nella quale i Cristiani della costa Malabar dicono, che* S. Tommaso *fosse stato martirizzato dagl' infedeli. Questa città era stata fabbricata sulle rovine di un altra chiamata* Batuma (Beituma) *cioè a dire, città di* S. Tommaso etc. Si hoc verum est, nostra etymologia opus non est ad ostendendum *Calaminae* situm. Verum *Didacus Fernandez* vir Lusitanus, *Loge Escander* Armenus, et postea *Emmanuel Frias* et *P. Antonius Gil*, qui primi ex Lusitanis ad ecclesiam S. Thomae jam ante Lusitanorum Indica bella accesserant, urbem *Mailapuri* et *ecclesiam S. Thomae* in ea repererunt, *Calaminam* autem non invenerunt. Falsum itaque est urbem Calaminam per Lusitanorum arma solo aequatam fuisse. Vide vitam S. Francisci Xaverii *pag.* 132. Auctore P. Lucena, Romae 1613.

Traditionem ecclesiae Malbaricae et totius Indiae de praedicatione Indica *S. Thomae* egregie defendit Renaudotius in libro inscripto : *Anciennes rélations des Indes et de la Chine*, *de deux voyageurs Mahométans*, *qui y allerent dans le neuvieme siécle*, *traduites d'Arabe*, pag. 146., ubi expendit: quaenam sit ea urbs, quam hi duo Arabes saeculo nono in india *Beit Touma*, id est, *ecclesiam S. Thomae* compellarunt. „ Betouma, *ait ipse*, est un mot Syriaque composè, dont la veritable orthographe „ est, *Beit-Touma*, ce qui signifie en Arabe et en „ Syriaque, *Maison* ou *Eglise de S. Thomas*. „ Et infra, postquam hujus rei caussas et argumenta attulerat, concludit: „ Il ne semble pas qu'on puisse dou„ ter, que *Betouma* ne soit *San Thome* (urbs nempe „ Mailapuri jam tunc S. Thomae urbs dicta). *Mar„ co Paulo*, et presque tous les anciens Auteurs de „ voyages, témoignent que selon la tradition du pais, „ la sépulture de *Saint Thomas* étoit en ce même „ endroit, ce qui est confirmé par Jean de Empo„ li, Barbosa, Corsali, et presque tous les au„ tres premiers voyageurs. Cette tradition se trou„ ve conservée dans les Eglises *Nestorienes*, et un „ des leurs plus fameux Auteurs, après avoir rap„ porté sommairement la prédication de Saint „ Thomas, dit, que son tombeau a été trouvé sur

„ le bord de la mer, dans un Village connu par „ la memoire de son martyre. On peut ajouter à „ cette tradition, celle des Eglises de *Malabar*, „ et de la pluspart des autres Eglises *Syriennes*, „ qui croyent toutes, que *Saint Thomas* est entré dans „ les *Indes*, et que son corps y a été enterré „. Scriptor Nestorianus cujus heic meminit doctus Renaudotius est *Amru* in hist. *Ar. ms. Nestorianorum*. Ejusdem meminit Assem. *Dissert. de Syr. Nest. pag.* 34., ubi haec ejus verba affert: *Sepulchrum ejus* (Thomae) *exstat in insula Meilan* (id est *Mailapuri*, quae est urbs, non insula) *in India ad dexteram altaris; in ejusdem monasterio*. Quod quidem asceterium monachorum Nestorianorum, ut in Malabaria in oppido *Edapuli* et *Angamali*, ita in *Mailapuri* seu *San Thome* olim exstitisse testis est Thomas Jaballaha, Jacobus et Denha in epistola ad *Eliam* anno Graecorum 1815., Christi 1504. scripta. Confer Raulin *Dissert.* 2. de Apostolatu S. Thomae *pag.* 365. Intricandis itaque Indicis rebus aptior est Tillemontius, la Crozius et Combefisius, quam iis elucidandis. Omnium pene orbis ecclesiarum traditio de Apostolatu S. Thomae in India ejusque depositione non evertitur, neque everti potest simplicibus eorum conjecturis. Argumenta proferenda sunt, non autem opiniones et conjecturae. Chronicum

Edessenum apud Asseman *tom.* 1. *Bibl.Orient.pag.*399. *et* 403. refert *num.* 38. haec verba: *Anno* 705. *Graecorum* (qui est Christi 394.) *Mense Augusto die* 22. *advexerunt arcam Mar Thomae Apostoli in templum magnum eidem dicatum diebus Mar Cyrilli Episcopi*. Ibidem, *Anatolium* militiae Praefectum arcam argenteam fecisse prodidit, *in honorem ossium S. Thomae Apostoli*. Unde, et quo arcam hanc S. Thomae advexerunt, hoc nobis dicant laudati auctores, et quamvis accurate translationis hujus epocha et circumstantiae definiri vix possint, hoc tamen hi auctores fateantur est necesse, traditionem hujus Apostolatus et translationis ex India apud Ecclesiam Orientalem semper sancte et integre servatam fuisse. Goae, dum *Alphonsus de Albuquerque* bellicis tormentis urbem quateret, ac aedificiorum moles in frusta dilapsa rueret, in veteribus murorum ruderibus aerea et vetus crucis effigies in ipsa prima urbis deditione reperta fuit. Vide, *Vita del B. P. Francesco Xavier composta dal P. Giovanni di Lucena in lingua Portughese*, Roma 1613. *pag.* 46. Unde, et cur haec Christi e cruce pendentis effigies, si nulli in India ante adventum Muhamedanorum erant Christiani? Pantaenus teste Eusebio, ut supra vidimus, in India Evangelium *S. Matthaei* invenit, quod ibi tunc jam receptum fuisse scribit; Manes in *Caschar*

Episcopos, presbyteros, et populum Christianum orthodoxum reperit, qui audita ejus haeresi illum in fugam conjicit, ut supra prodidit S. Epiphanius; Johannes Persidis et magnae Indiae Episcopus concilio Nicaeno assistit; Cosmas Indicopleustes in Malabaride Christianos innumeros exstitisse narrat; Arabes, Armeni, Persae, Syri Nestoriani in suo in Indiam accessu ecclesiam S. Thomae, et Christianorum reperiunt multitudinem, cui regendae suos mittunt Episcopos in *Caschar*, in *Ariam*, in *Cattáyam*, ad littus Malabaricum in urbem *Calianapuri*; ducentum millia Christianorum titulo Christianorum S. Thomae in Malabaride gloriantur, iidem usque ad hodiernam diem നസ്രാണി *Nasràni*, id est, *Nazaréni* a gentilibus vocantur, et hoc nomine regibus, sacerdotibus gentilibus cogniti sunt, ac juribus indigenarum gaudent; haec ipsa ducentum Christianorum millia jurejurando affirmant, se a S. Thoma Apostolo in fide Christiana institutos fuisse; Apostolum in *Mailapuri* necem subivisse, ibidem olim ejus corpus conditum fuisse; Syri, Arabes, Armeni Catholici et haeretici eorum traditionem tuentur et amplectuntur; hi ipsi devotionis caussa Mailapuram ad sepulchrum *S. Thomae* confluunt; gentiles ipsi indigenae huic S. Apostolo in suis adver-

sitatibus se se commendant, ad ejus sepulchrum vota et tabellas deferunt, lucernam accendunt, Apostolum olim cum suo *Vishnu* deo collocutum fuisse fabulantur. Quid igitur, an haec omnia nugae sunt, an vero certam, fixam et constantem traditionem indicant de Apostolatu Indico et martyrio S. Thomae in *Calamina*, id est, *in rupe* urbi *Mailapur* proxima, ubi hodiedum multa intercessione hujus Sancti Apostoli miracula percrebrescunt? An non potius lepidi nugatores, adversatores malevoli, critici parum periti, viri scioli et suis opinionibus nimium indulgentes illi sunt, qui spretis tantis argumentis, atque ad tantam lucem caecutientes, meris conjecturis abrepti, Indicum Apostolatum S. Thomae ejusque martyrii locum in Indica urbe *Mailapuri* oppugnant? Inscriptionis antiquae in tribus aereis laminis, qua rex നരസിംഹഃ *Narasinha*, id est, ejus regni Princeps, in quo sita est urbs Mailapuri, nomine *Buca rágia* seu potius ബുദ്ധരാജഃ *Budha rágia* gentilis vir, templo S. Thomae in Mailapuri agros vicinos in quatuor leucas excurrentes adscripsit et donavit, meminit auctor vitae S. Francisci Xaverii *pag.* 138. in opere supra laudato. Vide lib. 3. cap. 3. *Della notizia, che li Portughesi trovarono nell' India intorno alle cose dell' Apostolo S. Tomaso,*

et cap. 4. *Alcuni argomenti della verità di questa historia, e traditione degl' Indiani*, ac deinde cap. 5. *Della Croce che si trovò nel luogo del Martirio dell' Apostolo*.

Quod regem attinet, sub quo *S. Thomas* martyrium passus est, is fuisse videtur, *Salivahana*, quod nomen D. Wilford in dissert. de urbe Indica *Tagara*, scribit *Salbahan*, et P. Constantinus Josephus Beschius vir Tamulicae linguae peritissimns illud exarat *Salivagana*, more nempe Tamulensium, qui cum littera *h.* careant, illi substituunt litteram *g.* vel *k.* Hic septentrionalis Indiae rex, a quo Indi aeram suam historicam scribunt, obiit anno Christi 78., ante quod tempus etiam S. Thomas mortem oppetiisse videtur. Vide de hac aera et rege P. Beschii *grammaticam Tamulicam*, Trangambariae typis Missionis Danicae editam anno 1738. *cap.* 5., librum inscriptum: *Asiatick researches*, tom. 1. *pag.* 373., Niebuhr *tom.* 2. *pag.* 26., Sonnerat *tom.* 2. *pag.* 192. 193. Hic rex totius Borealis Indiae Imperator, qui in urbe *Pattan* habitabat, et per regulos reliquas Indiae provincias gubernabat, idem esse videtur, qui Arriani *Saraganus*, cujus supra de *Calliana* Arriani et Cosmae agendo meminimus. *Calliana* huic regi subjecta erat, et tunc nobile Indiae emporium, ut *loc. cit.* adstruit Arrianus. Profecto nisi hujus re-

gis potestas et imperium usque in Australis Indiae et utriusque littoris Malabarici et Coromandelici fines se se extendisset usque ad *Cerambotti* regnum, quod *Concam* fuit inter *Canara* et *Carnate* situm; quod ex Plinio deduci potest; Indi universi Boreales et Australes ab obitu hujus regis *Salivahana* vel *Salbahan*, quod Arrianus in *Saragan* corrupit, aeream suam historicam non scriberent. Hoc idem vocabulum *Salbahan* vel *Salivahan* auctor vitae S. Francisci Xaverii scribit corrupte more Italico *Sagamo*; et Petrus Maffeus *hist. Ind. lib.* 2. *fol.* 32. illud pariter vitiat scribendo *Sagam*; cui adhaeret Osorius Episcopus Algarbiensis *lib.* 3. *de Reb. Emman.* Verum hi auctores hoc regis vocabulum ex codicibus et relationibus manuscriptis *Georgii Themudo* Episcopi Coccinensis in Malabaride acceperant, cujus nomen reticendo, Tamulensium Indorum traditionem perscripserunt. Sic error ex imperitia Indicae linguae semel a Georgio Themudo adoptatus, conservatus fuit, atque vocabuli corruptio de manu in manum et de libro in librum transivit.

Effigiem *S. Thomae* Apostoli et *Pantaeni* presbyteri scholae Alexandrinae Praefecti ex valvis aeneis Basilicae *S. Pauli* via Ostiensi, Constantinopoli anno Christi 1070. sub Consule *Pantaleone* scalpro incisis, exhibet Ciampinius in opere inscripto: *Ve-*

tera monumenta, part.I. cap.IV. pag. 38. *quadr.* XXVII. Pantaenus dextera manu tenet Evangelium S. Matthaei, quod ipse primus post S. Thomam Indis praedicavit; et S.Thomae martyrium in India hac graeca epigraphe inscribitur

Ο ΑΓΙΟϹ ΘΩΜΑϹ ΑΟΧΙ ΤΠΟ ΗΝΔΙΑ ΤΕΛΗΟΤΤΕ.

S. Thomas lancea in India moritur.

Confer. Blanchini, *Demonst. hist. Eccl. monum. Comp.* Tab. III. Saeculi II. *num.* 40. *et* 41.

Pantaeni praedicationis in vera India ex S.Hieronymo, et Eusebio jam supra *pag.* 3. et 4. in hoc opere meminimus, eamque egregie defendit vir inter Protestantes doctrina et eruditione illustris Jo. Albertus Fabricius in sua *Salutari luce Evangelii* cap. XXXVI. *pag.* 627., ubi non solum Eusebii et Hieronymi, sed etiam Nicephori, Petri Halloix, et Jo. Baptistae Solerii locos et auctoritatem affert. De S. Thoma Apostolo *Sophronius* apud eumdem Fabricium cap.V. pag. 109. *Thomas Apostolus, quemadmodum traditum est nobis, Parthis et Medis et Persis et Carmanis et Hircanis et Bactris et Magis praedicavit Evangelium Domini. Dormivit in civitate* Calamina, *quae est Indiae.* Vocabulum Μάγοις *Magis*,

quod teste Cotelerio reperitur in Sophronii loco mox adducto, Isidorus legit *Trajanis*, quod indubie in vitiato Isidori codice expungi debet, eique substitui dictio *Brahmanis*, ut recte idem animadvertit Fabricius. Hos Brahmanes, lingua Samscrdamica, *Mahá*, *Magà* seu *Magnos*, unde vocabulum *Magus* corruptum procedit, hodiedum vocari; et *Magorum* Persarum primam stirpem et originem fuisse, nos *pag*. 189. *et seq*. codices Indicos *Musei Borgiani Velitris* illustrando, satis enucleate, ut arbitramur, ostendimus. Itaque in suo versus Indiam itinere S. Thomas omnes illas gentes, per quas necessario transire debuit, priusquam *Magos Brahmanes* attingeret, luce veritatis imbuit. Atque hoc testatur S. Greg. Nazian. *Orat*. 25. *pag*. 438. Θωμᾶ πρὸς ἰνδικήν. S. Hieronymus epist. 148. ad Marcellam, *in omnibus locis versabatur* (Dei sermo) *cum Thoma in India*, *cum Petro Romae* etc. V. Beda in collectaneis T. III. opp. pag. 485. *Thomas Indiam accepit*. Auctarium Martyrologii Usuardi, Lubecae et Coloniae editum, Idibus Julii. *Bartholomaeus in India excoriatus decollatur*, *Thomas in alia India*, *quae est in fine Mundi*, *transfigitur*. Mabillon. T. III. actor SS. Benedictinorum

Indiae de finibus ortus dat ubi diem sol
quae tenet arva Thomas.

Nicephorus *lib.* 2. *hist. cap.* 40. S. Thomam Parthos, Medos, Indos, ipsamque insulam *Taprobanem* adivisse, ac *Brahmanum* gentem docuisse refert. Taprobane autem insula *Ceilan* est, ut tradit Bochart *Geogr. sac. p.* II. *pag.* 770., idem quod nos supra *pag.* 60. in hoc opere prodidimus. Rufinus lib. I. hist. Eccl. cap. 9. *in Indiae partibus et populi Christianorum et Ecclesiae factae sunt, et Sacerdotium coepit*. Quae verba ne in citeriorem Indiam aut Aethiopiam detorqueas: recole quae supra *pag.* 8. 9. *et* 10. ex Cosma Indicopleuste de *Malabaridis*, *Calianae*, et insulae *Taprobanes* Ecclesiis, Clericis et Christianis attulimus. Quare recte ad Sophronii locum cap. v. pag. 109. in notis addit Fabricius: *Indorum Apostolum Thomam faciunt Ambrosius in ps.* 45., *Gaudentius sermone* 17., *Nazianzenus*, *Paulinus*, *Hieronymus*, *Abdias*, *Metellus Tegerseensis*, *Metaphrastes* etc. Quorum quidem auctoritatem arrodere, non autem corrodere et convellere poterit Tillemontius, la Croze, Combefisius, le Moyne, aliique cerebri male feriati scriptores. Vide Fabricium *cap.* VI. *pag.* 109. Haec pauca de Indico Apostolatu S. Thomae annotasse sufficiat, nunc iterum ad historiae semitam redeamus.

Dispersis per juga montium Christianis et post necem S. Thomae valde diminutis ecclesia

Mailapurensis, ad quam tamen frequentes peregrinationes hi Christiani instituebant, pastore vidua luxit usque ad annum 1606., quo Paulus V. eam in cathedralem erexit die IX. Januarii. In eam jus Patronatus regibus Portugalliae jam addixerat Paulus III. anno 1534. die 3. Nov., ut constat ex tabulariis S. Cong. de Prop. Fide. Universa Coromandelidis ora ab urbe *Nagapatnam* versus Boream progrediendo, regnum *Orixae*, regnum *Bengala*, et regnum *Pegu*, ecclesiae S. Thomae in Maliapur Antistiti in actis consistorialibus anno 1606. adscriptum fuit.

Hunc immensum terrarum tractum Episcopus Mailapurensis per aliquot Clericos Goanos administrat, excepta urbe *Calcuttà* in regno Bengala sita, in qua PP. ordin. Sancti Augustini parochiis praesunt. Vide de his Urbanum Cerri *pag.* 184. In urbe *Tranquebar* Danis subjecta, Missionarii Dani heterodoxi ab anno 1706. versantur, qui pluribus libris lingua et elementis Tamulicis conscriptis ac typis editis, Lutheranae religionis dogmata in vulgus sparsere (1). Vide Rau-

(1) Dani urbem *Tranquebar* seu *Tarangapuri* a rege regni *Tanjaur* anno 1621. commercii exercendi caussa obtinuerunt. In ea primi Danicae Missionis praecones fuere Bartholomaeus Ziegenbalg, et Henricus Plutschau; hos secuti sunt anno 1709. Ernestus Grundlerus, Polycarpus Jordanus, Joannes Berlin, Benjamin Schultze,

lin, *pag.* 430. 431. *Pondicerii*, urbe insigni Gallis subdita ac sub gradu lat. hor. 11. sita, Missionarii Parisienses ad peregrinas missiones dicti, PP. Societatis Jesu, ac PP. Cappuccini Europaeis in ea degentibus et Christianis indigenis sacramenta administrant. In ea Missinarii regni *Tanjaur*, *Madhura*, *Carnádaga* corrupte *Carnate* dicti instituuntur, qui deinde haec regna circumeunt infidelibus Evangelium annunciantes (1). Est ibi celebre seminarium in *Ariancopán*, in quo juvenes Sinenses, Tunkinenses, Coccincinenses, Siamici,

Nicolaus Dal, Henricus Kistenmacher, Fridericus Pressier, Martinus Bosse, Theodosius Walther, et alii. Ex his Tamulicae linguae peritia maxime conspicuus fuit Walther et Schultzius, qui plures libros latinos sacros et prophanos in linguam Tamulicam convertit, quorum catalogum videsis apud Jo. Albertum Fabricium, *Salutaris lucis Evangelii*, cap. 35. pag. 605. et seq. *Collegium regium Hafniense de cursu Evangelii promovendo*, ubi catalogum accuratum texit omnium librorum, qui ex Danica Tranquenbarensi Typographia prodierunt. Appendicem ad hunc catalogum librorum lingua Tamulica, Lusitana, Danica, Germanica editorum annectit ad calcem sui operis: *Verzeichniss der zu Trankebar ferner gedruckten Bücher*. Grammaticam Tamulicam Ziegenbalgii nos critico examini subjecimus in nostro opusculo: *Examen Historico-criticum codicum Indicorum bibl. S. Congr. de Prop. Fide*, Romae 1792. *pag.* 52. 53.

(1) De jurgiis inter PP. Cappuccinos et PP. Societatis Pondicerii habitis ob ritus vulgo *Malabaricos* dictos, vide opus inscriptum: *Memorie storiche presentate al Sommo Pontefice* Benedetto XIV. *intorno alle Missioni dell'Indie orientali*, opera del R. P. Norberto Cappuccino Lorenese, tom. I. et II. in Lucca 1744. *tom.* 1. *pag.* 8. 9. 10. *et seq.* Confer Sonnerat, *Voyages aux Indes* tom. 1. pag. 87. et 142. *in notis*, ubi pauca de his ritibus indicat.

aliique ad statum ecclesiasticum erudiuntur, et ad SS. Ordines promoventur, quibus semper praeesse solet Episcopus peregrinarum missionum Vicarius Apostolicus. Varias belli pacisque vicissitudines urbis etiam hoc collegium subire cogitur. In urbe *Madrast* commercio omnium gentium florentissima, quae Anglis paret, Christifidelibus praesunt PP. Cappuccini, Galli, Germani, Itali Prov. Touronensis alumni, quorum dux fuit R. P. Ephrem de Nevers, qui anno 1642. postulantibus Anglis ibidem in suburbio *nigro* dicto ecclesiam S. Andreae Apostolo sacram condidit, ac missionem illam instituit, quae ad hunc usque diem floret. Contra hos, ac omnes Pondicerii degentes praecones Apostolicos idem ardet persecutionis zelus in Episcopo Mailapurensi, qui Dioecetam Goanum et Coccinensem Lusitanum animat ad vexandos littoris Malabarici Missionarios. Quamquam ipsi infinitae illi Christifidelium multitudini et tot regnis verbo, praesentia sua, et spirituali pabulo succurrere nequeant, attamen juris patronatus infractionem obtendentes, omne id, quod Lusitanum non est, ex regnis illis expellere adlaborant. Adeo praevalet juris et dignitatis suae splendida imago simplici et interminabili Christi Domini praecepto: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium*

omni creaturae. Marci *cap.* 16. Pax ab ethnicis, pax ab haereticis, et non est pax a filiis (1). In ipsa urbe Mailapuri ad litus maris in peramaeno loco sita, olim aderat Xenodochium, una domus PP. Praedicatorum, altera Eremitarum S. Augustini, altera PP. Societatis Jesu, et sex ecclesiae, quibus addendae sunt duae aliae, quae non procul ab urbe in monte majori et minori sitae sunt, celebres a confluxu Peregrinorum, qui ex tota India illuc commeantes sacrarium S. Thomae frequentant. Translato a Lusitanis ad Anglos commercio, et urbis *Madrast* potentia accrescente, *Mailapuri* ab antiquo suo flore decidit, neque amplius alio quam sacrarii religionis Christianae nomine et gloria gaudet. In ea et urbe Madrast decem circiter millia animarum fidelium numerantur, exceptis Schismaticis Jacobitis Armenis, qui pariter unam possident ecclesiam, quam cum an. 1776.

(1) *Quidam quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant, quidam ex caritate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur: et in hoc gaudeo, sed et gaudebo*. Ad Philippenses *cap.*1. *v.*15. *& seq.* Videant nunc Praesules Indici, an secundum hanc doctrinam S. Pauli, praecones Apostolicos jucundo et a veteribus praejudiciis immuni animo complectantur.

mense Octobri adivissem, pictas ibi non sculptas imagines cultu et veneratione Armenos illos prosequi compereram (1).

EPISCOPI MAILAPURENSES.

I. D. Sebastianus a S. Petro ord. Eremitarum S. August. creatus anno 1606. a Paulo V., idem translatus ad sedem Coccinensem anno 1615., et inde Goam. Vide de eo Raulinium *pag.* 449.

II. D. Ludovicus de Brito de Menezes ord. Eremit. S. August., creatus anno 1615., transivit ad sedem Coccinensem anno 1628. Vide supra. Caespitat heic Raulinius, dum incertis conjecturis et monumentis huic Episcopo Dominicum a Trinitate sufficit, et horum Episcoporum seriem auget. Hic certe in documenntis academiae Lusitanae, et

(1) De Missione Protestantium in urbe *Jaffanapatnam* in insula Ceylan et in urbe *Madrast* in littore Coromandelico mira et stupenda affert *Hermannus Spechtius* in epistola data in urbe *Colombo* anno 1684. et *Adrianus de May* in epistola ex *Jaffanapatna* an. 1690. die 6. Nov. scripta. Secundum notitias horum virorum in solo regno (perexiguo) *Jaffanapatna* numerantur Christiani Protestantes conversi *centies mille, octuaginta millia, trecenti et sexaginta quatuor* (180364.) Nimis magnae sunt hae imposturae quam ut refelli mereantur. Confer, *A letter from Fort S. George* by Mr. Stevenson 27. Dec. 1716. Lond. 1721. Robert Millar, *Propagation of Christianity* Lond. 1731. tom. 2. pag. 216. et seq. Item, *Thirty four conferences between the Danish Missionaries and the Malabarian Brachmanes etc.* London 1719. Bibl. Angl. tom. 5. p. 196. Fabricium *pag.* 591.

in cod. ms. R. P. Geminiani a S. Octavio non reperitur.

III. Paulus de Stella Ulyssiponensis ex ordin. S. Francisci, obiit anno 1638. die 25. Julii.

IV. D. Ludovicus de Mello ord. Eremit. S. Aug. electus anno 1639. non confirmatus per litteras Apostolicas.

V. D. Antonius a Jesu Maria electus anno 1643. die 23. Aug., non confirmatus.

VI. D. Didacus de Mendoça ord. SS. Trinit. electus loco cedit.

VII. D. Joannes Bapt. ord. FF. Praed. ex sentententia auctoris libri inscripti: *Anno Dominicano* ad 2. Febr. Episcopus Mailapurensis non confirmatus.

VIII. D. Sebastianus a Conceptione Carmelita Discalceatus, electus anno 1656. Exstat ejus imago ad S. M. de Scala.

IX. D. Antonius a S. Dionysio ord. S. Francisci electus anno 1668. non confirmatus.

X. D. Gaspar de Alphonso Soc. Jesu, creatus a Pontifice anno 1691. die 19. Novemb., consecratus Goae anno 1693. die 3.1. Aug

XI. D. Franciscus Laines S. J. consecratus anno 1708. obiit in regno *Bengala* anno 1715. Vide de eo P. Norberti *tom.* 1. *pag.* 208. *et seq.*

XII. D. Emanuel Sanchez Golao presbyter saecul.

creatus litteris Apostolicis anno 1718. die 8. Junii, in Indiam profectus anno seq.

XIII. D. Josephus Pinheiro creatus per litteras Apost. anno 1725. die 21. Febr., obiit anno circiter 1744. De eo disseruimus supra. Vide P. Norberti *tom.* 1. *pag.* 487.

XIV. D. Ludovicus a Conceptione ord. S. Aug. Ulyssiponensis ex Cong. Excalceatorum Lusitana creatus anno 1745.

XV. D. Bernardus a S. Cajetano ord. S. August. creatus per litteras Apostol. anno 1759. die 28. Maii, obiit in Maliapur.

XVI. D. Emanuel a Jesu, ord. S. Augustini, natus Goae anno 1746. clavum Ecclesiae Mailapurensis moderandum suscepit anno 1787. die 29. Januarii.

Episcopus Coccinensis et Mailapurensis nullo capitulo, nullis Canonicis, Vicariis generalibus, cooperatoribus, aut aliis in dignitate constitutis viris gaudet, sed uno tantum presbytero socio, qui eidem assistit. Nullum item nunc in his dioecesibus adest seminarium, nullae scholae publicae regis Portugalliae sumptibus erectae. Quae quidem omnia conditionibus et pactis, quibus jus Patronatus a Romanis Pontificibus eis concessum fuit, obesse, nemo est qui non videat.

Inspice Bullam Pauli III. *Aequum reputamus*, Romae anno 1534. datam, Bullam Pauli IV. *Pro excellenti praeminentia*, Romae an. 1557. Clementis VIII. Bullam, *In supremo militantis Ecclesiae solio*, Romae anno 1600., et acta consistorialia Congregationis habitae coram Paulo V. anno 1606. die 9. Januarii.

MISSIONES REGNORUM

TANJAUR, MAISSUR, MADHURA,

ET REGNORUM BENGALA AC NEPAL.

Ad dioecesim Coccinensem, Angamalensem ac Mailapurensem pertinent missiones Tanjaur, Maissur, Madhura, Bengala et Nepal. In litteris D. Alexii de Menezes anno 1610. die 22. Decembris Goae, auctoritate Pauli V. vulgatis, quibus Episcopus Coccinensis, Cranganorensis, ac Mailapurensis sub gravibus poenis parere debeant, haec definitio et limitatio dioecesium affertur: *Angamalensis dioecesis erunt omnia mediterranea, quae decem Lusitanis leucis a mari distant ultra Comorinense Promontorium, quae decem leucae subjacebunt Praesuli Coccinensi cum omnibus parochiis vel jam exstructis, vel in posterum exstruendis in hac omni Pisca-*

riae ora, *quod debet intelligi ad eas usque regiones ubi Maliapurensis dioecesis incipit : ita extra has decem leucas Angamalensi subjacebunt mediterranea omnia cum regionibus Naique* (id est *Náyaguen* dominus, nomen regulis regni Marava a Tanjaur commune), *et Maduré*, *excurretque ejus ditio ad fines usque inter se Maliapurensis et Coccinensis dioecesis*. Ex his jam patet : inter litus Malabaricum , et Coromandelicum in mediterraneis numerari regnum Naique seu Marava, Madhura, Tanjaur, Maissur, et Carnáda seu Carnate, quae regna dioeceses Angamalensis , Coccinensis, et Mailapurensis attingunt (1) . R. P. Franciscus Xaverius Pavone S. J. vir vere Apostolicus, qui triginta annis missiones regni Maissur, Concam, et Madhura excoluit, et mediterranea australis Indiae peragravit, an. 1787., dum ob bellum Nabab Tipu Sultani profugus mecum in Cettiati habitabat , sequentes mecum de praedictis missionibus et Christianis communicavit notitias . R. P. Robertus a Nobilibus Ròmanus

(1) Videsis de his regnis relationes Miss. Dan. in opere inscripto : *Der Koenigl. Daenischen Missionarien ausführlichen Berichten* , Halle 1733. *part.* 2. 3. *et seq.* Item *Relation de ce qui s'est passé dans le Royaume de Madure , de Tanjaur etc.* par le P. Hiac. de Magistris de la Comp. de J. *Trad. Franc.* a Paris 1663. Anquetil du Perron, *Recherches historiques sur l'Inde*, tom. 1. part. 1. pag. 1. 2. 3. et seq. Item elegantem mappam horum regnorum, *Le theatre de la guerre dans l'Inde* , anno 1770. Parisiis editam .

vestes Brahmanum regni Maduré indutus, primus e Societate Jesu circa annum 1606. fundavit missionem in regno *Madhurá*, quod alii corrupte ex lingua Tamulica scribunt *Maduré* (1). Prosperum suorum laborum successum perspiciens advocat alios socios, quos mittit in regnum *Concam*, seu ut Lusitani scribunt *Concao*, quod tunc regi Madhurensi subjectum erat (2). In hoc regno *Madhura* pedetentim plures fuere constructae ecclesiae, qua-

(1) P. Roberti de Nobilibus S.J. in regno Madure Missionarii veste Brahmanica induti icon exstat in Museo Borgisno Velitris. Obiit in collegio S. Thomae die 16. Ianuarii anno 1656. annos natus prope octuaginta.

(2) Qui ritus gentilicam superstitionem olentes in regnis Madure, Carnate, Concam, et Tanjaur prohibiti sint, docet S. P. Benedictus XIV. in sua celebri constitutione, quae incipit: *Omnium sollicitudinum*, et decretum Card. Caroli Thomae de Tournon, anno 1704. die 23. Junii in *Pondiceri* vulgatum, quod incipit: *Carolus Thomas Maillard de Tournon*. Hi inquam ritus ob intrinsecam superstitionis gentilicae malitiam corrigendi, expellendi, et damnandi sunt. Vide *Memorie storiche delle Missioni Orientali* part. 1. lib. 3. pag. 99., et constitutionem Gregorii XV. *Romanae Sedis Antistes*, apud S. Petrum Romae anno 1623. die 31. Januarii emanatam. Signa praeterea, quae Indi gentiles frontibus suis illinire solent ad devotionem aliquam erga suos deos, aut ad sectam suam distinguendam, et significandam, intrinseca malitia scatent, eaque omnino prohibita sunt. Ex his signis aliqua heic nominabo, ut ii ad quos spectat, ea prohibeant, et damnent. I. *Námam* in medio coloris rubri, ad latera coloris albi. II. *Tribúndaram* coloris rubri ex santalo et cinere. III. *Tribúndaram* coloris cinericii ex cinere cum *poútou*. IV. Idem cum 2. *poútou* in naribus. V. *Pattavartanam* flavum. VI. *Lingam* flavum aut rubrum. VII. *Mungbil Illey* flavum. VIII. *Cóburam* flavum, IX. *Támara* Illey flavum. X. *Támara mottu* flavum. XI. *Pá-*

rum primarias tantum heic recensebo. I. *Madhura* urbs regni caput, et prima sedes P. Roberti a Nobilibus. II. *Tindacalla*, olim Ptolemaeo et Arriano *Tindis*, vel *Tindy* celebre emporium, ex quo sindones gossipinae stamine subtilissimo textae et varicolores in urbem *Cottate*, quae Plinio est *Cottona*, convehebantur; ex qua deinde piper orae Travancoridis, ut hodiedum fit bobus et lintribus, in urbem *Becare*, hodie *Badagare*, et in *Tindym* seu *Tindacalla* revehebant: mercium nempe permutatione, quae inter indigenas hodiedum in urbe *Cottate* obtinet. Vide Plinium hist. nat. lib. 6. cap. 23. ubi ait: *Alius utilior portus* (fluviatilis, non marinus) *gentis Necanidon, qui vocatur Becare* (Badagare, unde *Becare* corruptum est). *Ibi regnat Pandion* (id est rex പാണ്ടി *Pandi*, quod regnum est *Madhura* seu *Maduré*, de quo vide lexicon R. P. Joannis Hanxleden sub voce *Pandi*) *longe ab emporio mediterraneo distante oppido, quod*

diciandren seu *luna bicornis* coloris flavi. XII. *Villu*, arcus, coloris flavi. XIII. *Ty*, ignis, coloris flavi. XIV. *Poútou* quatuor specierum. XV. *Súillam*. XVI. *Ambel* coloris flavi. XVII. *Mim* flavum. XVIII. *Amey*, aliaque nonnulla. Haec signa ut reproba et gentilica ipsi adversarii rejiciunt et damnant. Vide, *Risposta alle accuse date al pratticato sin' ora da' Religiosi della Compagnia di Gesù, nelle Missioni del Madure, Mayssur, e Carnate*. Coloniae anno 1729. Opus anonymum *P. Antonii Brandolini* Miss. Madurènsis, tom. 4. in 3. part.

vocatur Modusa (id est *Madhura*). *Regio autem ex qua piper monoxylis lintribus* (nempe per flumina regni *Madhura*) *Becaren* (id est *Badagueram*) *convehunt*, *vocatur Cottona* (id est *Cottate*). Confer Cellarii *Notitias orbis antiqui* lib. 3. §. 28. et 29. Notum (1) itaque erat Romanis regnum *Pándi* seu *Maduré* : unde hodiedum antiquum regis *Maduré* nomen in libris Indicis scribitur പാണ്ടി പെരുമാൾ *Pándi Perumál* , id est *regni Pándi* seu Madure *maxima persona*. Vide *Musei Borgiani* codices ma-

(1) Ptolemaeus geogr. lib. 7. tab. x. fol 93. et 94. edit. Argent. *in sinu Agarico* ἀγαρικὸν *Pandionis* Πανδίονος *regionis* collocat *Cory promontorium* , *Argari* civitatem , *Salur* , et postea *Nigamum* metropolim . Fol. 95. describens *Pandionum mediterranea* in fine addit : *Modura* Μόδουρα *regia Pandionis* . Itaque apprime Ptolemaeus consentit Plinio. *Modura* , id est , vetus urbs *Madura* , seu Madhura regia erat *Pandionis* , seu regis *Pándi* ab Indis *Pándiperumàl* dicti ; ejus autem regnum extendebatur tempore Plinii et Ptolemaei usque ad promontorium *Cory* seu *Comari*, quod nunc *Comorinum* dicitur . Ab hoc promontorio versus ortum jam navigando et littora legendo , ut tunc legebantur ; incipit *sinus Argaricus* , seu *sinus Arampali*, ab urbe *Arampali* hodiedum ibi exsistente *Argaricus* dictus , idem ille qui hodie sinus *Manar* dicitur. In extremo hujus sinus limite oram jam Coromandelicam tangente est *Negama* Arriani , *Nigamus* Ptolemaei , quae *metropolis* olim , hodie est *Nagam patnam* ; in quo nomine dictio *patnam* , *patna* , vel *patan* , *urbs* , a graecis scriptoribus semper fuit omissa. Hanc oram Piscariam nunc descriptam Arrianus vocat *Paraliam*, id est , *Paravariam* , a gente nempe *Parava* sindonum textoribus ita dictam , quae eam hodiedum incolit . Civitas *Argari*, in tabula Peutingueriana Αργάρεπολις *Argarupolis*, est urbs *Arampali*, quae ad latus orientale promontorio Comorino assidet, celebris a sindonum mercatura .

nuscriptos Avenses, Peguanos, Siamicos, Malabaricos, Indostanos, *pag.* 43. *in notis*. III. Aúr, IV. Illipiúr. V. Purrattacudi. VI. Ayambet. VII. Conacupao. VIII. Tanjaur urbs. IX. Varugapatti. X. Siringani. XI. Surano. XII. Camanáikenpatti. XIII. Tirunavéli. XIV. Vadakencollam. Ex his illae ecclesiae, quae num. 11., 12., 13., et 14. recensentur, Episcopo Coccinensi subjectae sunt, Conacupao autem Episcopo Mailapurensi subest. Totum regnum *Madhura*, *Tanjaur* et *Marava*, exceptis paucis regulis ad montes Ghates profugis, hodie Nababo *Muhamed Aly*, vulgo *Mamadely* dicto, et Anglis, a quibus ille pendet, servit. Eversa veteri regia urbe *Madhura*, tota Anglorum militaris et civilis potestas residet in urbe *Tricinapalli* seu *Trishnapalli*, in urbe *Tanjaur*, quae regno *Tanjaur* nomen dedit, et in urbe *Tirunavely*. In *Páleamcótta* rex Travancor Ráma Varmer, ad quem occidentalis regni *Marava* pars pertinet, militum copias alit, quae provincias ejus extra *Toválam* seu extra arcem promontorii Comorini sitas, custodiunt et defendunt. Horum Principum valor et potestas accrevit anno 1792., subacto undequaque eorum hoste Nababo Tipu Sultan. Ita litterae D. Aloysii Mariae Episcopi Usulensis Malabariae Vicarii Apostolici an. 1792. die 15. Aprilis ad me datae.

In *Maissur* et *Concam* ecclesiae numerantur sequentes : 1. Pálacaticéri . 2. Caramuttampatti . 3. Dhárāboram . 4. Mettupáleam . 5. Pudupari . 6. Calcavéri . 7. Calangáni . 8. Dhermapuri . In regno *Canará* ad juga montium Ghates sitae sunt: 1. Satalí , 2. Gárnari , 3. Patána seu Ciringapatnam , sedes et validissimum municipium Nababi Tipu Sultani , extra quod ecclesia exstat . 4. Cancanali , 5. Aanacalla . In his terris linguae Canarinae et Tamulicae usus viget , in Madhura et Tanjaur solius Tamulicae vulgaris , et in liturgia gentilica linguae Samscrdamicae . *Ciringapatnam* , quod Lusitani *Chiringapatam* scribunt , Nababo Tipu subest , reliqua regulis et Anglis , qui an. 1792. Sultanum in illa arce cinxerunt , et duos ejus filios in obsides duxerunt . Plerasque has ecclesias Nabab an. 1787. et seq. everterat , sed subacto hoc Tyranno , eaedem nunc restaurari incipiunt . In regno Madhura et Tanjaur octuaginta circiter millia , in regno Maissur et Concam quadraginta circiter millia Cristianorum numerantur . In regno Carnáda seu Carnate olim PP. Societatis Jesu Galli , nunc aliqui sacerdotes indigenae et Missionarii Galli seminarii Parisiensis alumni missiones exercent , qui a Vicaro Apostolico Pondicerii degente illuc mittuntur . Vide de his Urbanum Cerri *pag.* 147. *Seminaire*

de Paris, et *pag.* 173. Lettres Edifiantes, *tom.* 9. *et seq.* Memorie storiche P. Noberti Capp. *tom.* 1. *pag.* 12. *et seq.* Cod. ms. P. Geminiani a S. Octavio Carm. Disc. Malab. Miss., qui apud me exstat, et ita incipit: *Le Missioni de Padri Gesuiti del Maduré, Tanjaur e Gingi etc.* Anquetil du Perron, *Recherches historiques et géographiques sur l'Inde*, tom. 1. parte 1. pag. 1. et seq., item ad p. 222. *Canon chronologique des Souverains des principaux etats de la Presqu' ile de l' Inde, depuis la fin du quinzieme siecle*. P. Joannis a Brito, *Breve noticia dos erros, que tem os Gentios do Concao da India, cod. ms.* cap. 6. *Da Politica, Governo, e costumes destes gentios* etc. (1)

In regno *Bengala* et *Aracan* PP. Augustiniani Provinciae Goanae alumni sacris missionibus dant operam, quorum uni ob longinquitatem Praesul Mailapurensis Vicarii Generalis munus committere solet. Dum Lusitani in Bengala dominabantur, in *Calcutta*, in *Cionciura* seu *Tschunzura*, in *Hugli*, aliisque pagis et oppidis plures exstabant ecclesiae,

(1) Confer Petri du Jarric, *Histoire des choses mémorables avenues des Indes orientales*, Bourdeaux 1610. Io. Petri Maffei S. J. *rerum a Societate ab anno* 1548. *in oriente gestarum volumen*, Colon. 1574. *Risposte alle accuse date al praticato da Religiosi della Compagnia di Gesù, nelle Missioni del Madure, Mayssur, e Carnate*. Colon. 1729.

quarum curam gerebant ipsi illi PP. Augustiniani. Hodie omne fere eorum ministerium ad solam urbem *Calcutta* restringitur, in qua tamen sola plusquam viginti millia Christianorum numerantur (1). Sita est ex sententia *P. Boudier*, *D. Rennell*, et *Orme* sub gradu latit. septentr. 22. et 33. min., longit. 88., sed in mappa gen. sub longit. gr. 87. Vide *Recherches historiques, et géographiques sur l'Inde*, tom. 2. pag. 409., et *Carte générale du cours du* Gange *et du* Gagra, *dressée sur les cartes particulieres du* P. Tiefentaller, *Miss. Apost. dans l'Inde*, à Paris 1784. *sub gr.* 23. Confer *Alphabetum Tibetanum* pag. 426. in *itinerario Lhassensi e sinu Bengalico*, item *cod. ms. in fol.* R. P. Marci a Tumba, *pag.* 4. *usque ad* 8. in Museo Borgiano *Velitris* exstantem, Urbanum Cerri, *pag.* 185.

In Ciandranagor, quod corruptum est a [illegible] Ciandra *Luna*, et [illegible] nagari vel nagara *urbs*, unde exsurgit *Ciandranagari*, *lunae urbs*, exstat ecclesia fidelium, quae olim PP. Societatis Jesu sube-

(1) Christiani urbis *Calcutta* aliarumque maritimarum et commercio addictarum urbium, ad quas omnium gentilium eluvies confluit, pessimi sunt: quia Indicis vitiis Europaeam nequitiam conjungunt. At qui procul ab Europaeorum contagione in mediterraneis versantur, simplices, probi, moderati, meliorisque conscientiae homines esse reperiuntur. *Malabarenses* simulatores et astuti; *Tamulenses* fallaces, perfidi et superstitioni dediti; *Bengalini* rudes et ignavi, invidi, et lucro intenti sunt.

rat, nunc autem intruso cuidam schismatico sacerdoti paret, postquam effrenae libertatis Gallicae venenum eousque penetravit. Mercatores enim Galli, quorum colonia est urbs *Ciandranagari*, seu *Tschandranagari*, religionis Catholicae excidium, quod in Gallia perfecerant, etiam in illas Orientis plagas intulerunt, ut certiores reddimur ex litteris R. P. Marci a Tumba Miss. Cap. ex ipsa urbe *Ciandranagari* ad Eminentissimum Card. Borgia scriptis. Exstat in ea hospitium PP. Capuccinorum Italorum, quod cum una portione fidelium fidei catholicae depositum custodit. Urbs sita est ad litus Gangis inter *Luncagola* et *Zagattal*. Patna celeberrimum Indiae emporium ex sententia D. Rennell ad litus Gangis sub gradu *lat. Boreal.* 25. et 36.*min.* situm, quod hodie Anglis paret, hospitio PP. Cappuccinorum gaudet, qui ibidem plena religionis libertate fidelibus praesunt. Ex sententia P. Marci a Tumba, in *cod. ms.* supra cit., urbs haec est vastissima, quae unum et dimidium millionem animarum varii ritus et instituti numerat: *è una città grandissima che contiene un millione e mezzo di persone*. In ea residet Nabab, qui 6. provinciis sex *Subah Bear* dictis, praeest, et hic ipse Anglis subest. Vide quid de hac urbe referat *Graaf* apud Anquetilium *lib. cit. tom.* 2. *pag.* 495. In urbe et regno *Bet-*

tia seu ut Angli scribunt *Betteeah*, quod sub lat. bor. 26. et 27., longit. vero orient. gr. 86. collocat D. W. Bolts (1), aliud celebre hospitium habent RR. PP. Cappuccini Itali, quos maximo affectu et amore prosequebatur rex Bettia cum sua regali familia. De variis hujus urbis et hospitii vicissitudinibus, et bellis inter Anglos et regem Bettia ab anno 1757. usque sd annum 1780. gestis, vide supracit. cod. ms. R. P. Marci a Tumba *a pag.* 20. *usque ad* 40. *et pag.* 90. Hic enim ipse iis praesens aderat, ac proinde fide dignus testis est. Consule etiam de R. P. Josepho Maria de Carignano Cap. hujus missionis insigni ornamento nostrum *Examen historico-criticum* codicum Indicorum bibliothecae S. Cong. de Prop. Fide *pag.* 70. Christiani regni Bettia bellorum motibus hinc inde commigrant, tum iterum ad propria revertuntur. In regno *Nepal.*, quod ad Boream a maximo Tibeti regno montium jugis secernitur, atque ad Borealem Indiam pertinet, in urbibus *Catmandu*, *Patan*, et *Badagao* alia exstant PP. Cappuccinorum hospitia, ex quibus Apostolici illi viri inter ingentes illas gentilitatis tenebras lumen Evangelicum

(1) Bolts, *Stato civile, politico, e commerciante del regno di Bengala*. Anno 1780. tom 1. *Carta di Bengala formata secondo il Piano preso su i luoghi da* W. *Bolts*.

proferunt et propagant. Has missiones uberius descripsit praeclarus auctor Alphabeti Tibetani, quem consule *pag.* 429. 430. *et seq.*, et P. Marcus a Tumba in *cit. cod.* Musei Borgiani pag. 42. 93. 94. *Dinumerazione de' popoli di Nepal, e loro costumi* (1), et pag. 95. *Come, e per quali ragioni li nostri Padri partirono cogli Cristiani da Nepal, lasciando quei* 3. *Ospizj di colà per venire nell' Indostano*. Excitato enim a rege *Gorcá* cruento bello contra regulos vallis Nepal, Christiani belli calamitatibus oppressi in urbem *Patna* ad Gangem confugere coacti sunt. Nobis datum non est peculiares hos rerum eventus calamo prosequi, et locorum topographiam scribere, cum arctis teneamur vinculis, atque succinctam religionis Christianae in India chorographiam exhibere una nostra sit mens et labor. Missio PP. Cappuccinorum in regno Tibet, Nepal, et Bettia incepit anno 1707. (2).

(1) Passati i monti dell' Indostan si entra nella valle di *Nepal*, dopo si vedono molte cuppole de' palazzi, che sono di fuori dorate, e tre rágia (reges) independenti sia da Indostan, sia da Tibet. Valli sono Kutal, Botan, Macuampur, Tanau, Laotirgiu, Gorca, Navacot, e Nepal. Nella valle di *Nepal* 60. miglia di circonferenza, si trovano le città di *Katmandu*, *Patan*, e *Badagao*. In Katmandu sono 18000. fuochi o famiglie, in Patan 24000. fnochi, e 80. castelli, in Badagao 12000. fuochi o famiglie, e 26. castelli. Popoli tutti idolatri, e mai stati soggiogati. P. Marcus a Tumba *p.* 93. in cod. mss. *in fol.* Musei Borgiani Velitris.

(2) Notitiam regni *Nepal* tamquam recentem et Europae inco-

PERSECUTIONES

Religio Christiana Praedicantium verbis et labore seritur, divina virtute alitur, bono pastorum exemplo pubescit et adolescit, persecutionibus accrescit, probatur, et conservatur. Propagationem ejus paucis attigimus, superest, ut persecutiones breviter indicemus. Anno 1744. Lamae Tibetani, seu ejus regni sacerdotes gentiles, in PP. Cappuccinos ac Christianos persecutionem moverunt, quod hi magnum *Lamam* gentilicae superstitionis Pontificem et caput patrio more adorare noluerint. Saeviente populi tumultu ejecti inde et profligati laudati PP. Cappuccini et Christiani, in Indostan profugerunt, atque variis deinde rerum casibus expositi fidem Christi constanter professi sunt. Vi-

gnitam tradunt Angli academiae *Bengalinae* in urbe Calcutta *tom.* 2. insertam libro inscripto : *Asiatick Researches*, Calcutta 1790. §.XVII. pag. 307. *An Account of the Kingdom of Nepal*. Eadem notitia, et multo uberior ac correctior jam dudum exstabat in *cod. ms.* P. Constantini ab Asculo Miss. Nepalensis, qui codex exstat in bibliot. S. Cong. de Prop. Fide inscriptus : *Notizie laconiche di alcuni usi, sacrifizj, ed idoli nel regno di Nepal, raccolte nell' anno* 1747. Eamdem notitiam locupletem et perspicuam habemus in *cod. ms.* R. P. Marci a Tumba in museo Borgiano exstante. Veteres itaque centones Indicos ut novos Europaeis venditant hi laudati Angli. Monumenta Indica fere nulla afferunt, et quae producunt, ea in Europa jam partim cognita et illustrata sunt, partim in veteribus Indiae scriptoribus et viatoribus repeRiuntur.

de de his nostrum *Examen historico-criticum* codicum Indicorum bibl. S.Cong. de Prop. Fide *pag*.43., cod. ms. P. Marci a Tumba *pag*. 97. 99. 100. *et seq*. Alphab. Tibetanum *pag*. 599. Eadem experti sunt in valle *Nepal* per Tyrannum *Pirtinaráyen*, et deinde per regem *Gorcá*; quae omnia refert locis jam citatis P. Marcus a Tumba. Anno 1571., et deinde anno 1574. in ora Travancoridis plures concitatae fuerunt persecutiones per reginam oppidi *Cerenga*, quae eadem est ac *Aattingare Tamburati*, soror, aut mater regis Travancoridis pro tempore exsistentis. Femineo timore verebatur ipsa, ne Lusitani, ac PP. Societatis Jesu in *Mampulli*, in *Puducurici*, aliisque suae ditionis locis constructas Christianorum ecclesias in praesidia et castella converterent, ac eam e regno suo expellerent, quod Lusitanos alibi fecisse norat. Quare in *Triciandur* admoto igne combustae tres ecclesiae, saevitum in Christianos et Patres, qui per promontorium Comorinum in oram Piscariae profugi diu delitescere coacti sunt. Eamdem malam sortem saepe experti sunt PP. Societatis Jesu in regno *Marava*, *Tanjaur*, et *Madhura*, in quo P. Joannes de Britto, aliique socii plures necem (1) subierunt. Refertissimae sunt

(1) De martyrio P. Joannis de Britto, vide *Acta SS. D.N.* PII VI. *in causa necis illatae Ludovico* XVI. *Galliae regi*, Romae ex typographia Camerae Apost. anno 1793. *pag*. XIV.

de his persecutionibus variae epistolae P. Pons, Bourzes, de Magistris, Calmette, et aliorum. Vide lettres Edifiantes, *tom.* 9. *pag.* 191. *et tom.* 14. *pag.* 148. 456. ubi persecutiones anno 1701. et seq. in regno Tanjaur concitatae referuntur. Consule, Relations des Miss. Danois, *tom.* 1. 6. *continuat.* *pag.* 245. 269. *et tom.* 3. *continuat.* 28. *pag.* 385. Oriente conquistado a Jesu Christo, *tom.* 2. *Conquista* 1. *et* 2. Circa annum 1759. de mandato regis Travancoridis *Viramarttándae* post squallorem carceris per 18. mensium spatium forti et pacato animo tolerati, dimidia leuca extra *Továla* in colle oppido *Arampali* adjacente, pro fide Christi militari sclopeto trajectus fuit miles നീലംപിള്ള *Nilenpulla* seu *Deivasabáyampulla*, qui Europaeo et baptismali nomine *Lazarus* vocatur. Natus is in Malabaria ex nobili tribu *Ballamcetti* militiae nomen dedit, ac in ipsa aula regis militavit, principi, et comilitonibus suis charissimus. In ecclesia S. Francisco Xaverio in oppido *Cottate* sacra a PP. Societatis inter alios multos ad fidem conversus, suscepto baptismate lectioni librorum Christianorum, virtutum exercitationi et fidei constanter addictus, apud regem accusatus est, quod Christianus esset. Non negavit facinus. Quare varie tentatus, siti, fame, verberibus, promissis,

ut fidem exueret, invitatus, mori potius animo constituit, quam a Catholico instituto vel unguem recedere. Fascia oculis imposita a sociis trajectus martyr occubuit, ejusque vitam et mortem ipsi ejus socii gentiles admirati, pleno stupore correpti mihi saepe narrarunt (1). Ejus vitam et mortis historiam scripsit P. Franciscus Cruz Fernandez sacerdos indigena Malabaricus, ejusdem autem synopsim ego descripsi ex *cod. mss.* lingua Batava conscripto D. Johannis Rosier, arcis Collamensis Praefecto, viro gravi sed heterodoxo. Corpus ejus a Christianis sublatum in Ecclesia Cottatensi conditum fuit. Anno 1780. auri cupidus regis Travancoridis administer nomine നാഗംപുള്ള *Nágampulla Sarvádicariacáren* frater germanus primi administri nomine *Kumárencembagarámenpulla*, in novos totius orae Travancorensis Christianos *Ciánas* dictos exarsit, atque ut aurum argentumque, quod domi haberent, promerent, jussit; si secus, idolum *Vishnu*, ibi *Patmanábhen Suámi* dictum, ut elevatis manibus ritu gentili Malabarico venerentur,

(1) Plurium Indicorum neophytorum in fide constantiam etiam tormentis et cruciatibus probatam celebrat Raynaldus in annalibus *tom.* XIV. 1554. XXVII. confer apud eumdem *tom.* XIV. 1543. LX. *et* 1544. XXXIX. singulare Dei auxilium, et providentiam, qua illae neophytorum ecclesiae etiam in maximis tumultibus et persecutionibus illaesae permanserunt.



Tria simulacra
Dei Vishnu.
ex aere
in Mus. Borg.





praecipit. Rei novitate perciti 20. circiter mille Christiani ad montes profugiunt. Tercenti comprehensi, tentantur, exercentur, modis omnibus ad cultum dei *Vishnu* compelluntur. Pauci ex iis patrio more compositis, in frontem sublatis, ac deinde diductis manibus, et ore, in luco sub arbore expositum numen salutarunt. Reliqui viri omnes, et cum iis imbellis sexus ac pueri constantissime praedicabant, se tantum scelus in animam suam committere haud posse. Caecat animos praedandi habendique cupido, quae dum eluditur, ex alia caussa facile accenditur, atque furori et odio undequaque pabulum quaerit. Viderat Praeses, se nulla in domibus horum Christianorum cimelia, et nullum argentum, sed paucam supellectilem reperisse: mirabatur vero tantam gentis suae multitudinem Christo addictam, eamque in fide sua confitenda constantissimam. Quare hoc accusationis caput urget, atque ut atrocius et exquisitius in eos saevire posset, aliquos in *Benganúr*, alios in *Takalé*, alios in *Tiruvancóda*, quae oppida sunt arci *Patmanáburam* adjacentia, perduci jubet, ibi per judicem, quem *Mélvisháripu* dicunt, torquendos. Adstantibus filiis, uxoribus, parentibus, ligatis manibus decem in arborum ramis suspenduntur viri, quos satellites virga viminea repetitis

ictibus adeo verberavere, ut ex vulnerum et tormentorum atrocitate duo viri nomine *Velendren*, et *Arulan* eadem die obierint. Adstabat Patris martyrio juvenis nomine *Arlapen*, decem circiter annorum aetatis. Hic agitati, et in tormentis suspirantis Patris gemitibus perculsus, exclamat ad judicem: *Domine, si fides catholica Patris mei crimen est, propter quod eum caedis, jube me etiam caedere, eadem enim mihi est fides cum meo Patre.* Judex vir exiguae staturae, vultu torvo, homo non praeceps, quocum ego saepe locutus sum, primum retrahere jubet adolescentem, deinde postquam jam satis in viros saevitum est, tormentis admovet puerum, qui ad singulos ictus verba, *Iesu Náther Suámi*, id est: *Domine Jesu*, repetebat. Jam pene animam agebat puer, cum pleno vulneribus corpore solutis manibus ex arbore demissus est. Sciscitabatur ex eo judex: an accepti ictus sufficerent, respondit: *scinde et verbera ut placet, corpus tolles, animam meam mihi et Deo meo tollere non poteris.* Sequenti die omnes novis onerantur ictibus, atque ut acutior, acerbiorque dolor evaderet, per arenam sole exustam corpora volvi praecipiuntur, quibus deinde piper contusum, vulneribus et oculis immissum, illitum est. His peractis, cum nulla ratione eos moveri posse judex vidisset, rem ad

Nágampulla administrum defert ; qui veritus, ne tormentorum atrocitas regi patescat, ac inde et sibi crudelis viri nomen confletur, Christianos jubet iterum in carceres deduci. Profugis reliquis indigenis sacerdotibus solus hos martyres solabatur R. P. *Aloysius Falcao* S. J., qui in ecclesia oppidi *Tiruvancôr* residebat. Ille sacramenta, et collectas a fidelibus elemosynas ad pellendam eorum famem clam administrabat. Hoc rerum statu ego agri Verapolitani negotium tractaturus in urbem *Patmanáburan* ad regem accesseram. Accessus mei fama percrebescente, noctu excussis carceris portis, ac solutis compedibus ad me advolant hi Christiani, viri, feminae, pueri. Ecclesiolam arci *Patmanàburam* adjacentem, in qua ego habitabam, ingressi, omnes se prosternunt, atque *Olam* seu epistolam Tamulice scriptam mihi exhibent rogantes : ut eam regi extradam. Ea dicebat : omnes hos regis subditos promptos esse, ad quaecumque servilia opera facienda, et ad tributa pendenda, dummodo rex liberum eis concedat catholicae religionis exercitium. Gravi verborum pondere eos compuli ad repetendum carcerem, atque supplicationis onere in me suscepto, primo regni administro locutus sum, cui cumprimis dolebat, quod tot christianos ipsi regiae aulae vicinos nunc compertos ex-

ploratosque videret. Verum cum eum multis rationibus et promissis demulsissem, homo mihi jam dudum amicitia junctus, persecutionem suspendit, quae adlaborante etiam *D. Petro de Vegas* regis Anglo-Malabarico scriba, soluta, tandem post trimestre conquievit. *Nagampulla* ex cancro palatum oris ejus corrodente post semestre decessit, ac omnis illa supellex, argentumque Christianorum, quod corraserat, ad Gazophylacium regium delapsum est. Anno 1787. et sequentibus, *Nabab Tipu Sultan Bader* solius in suis provinciis invehendae religionis Muhamedanae animo intentus, ac multa febre phreneticus in *Ciringapatnam*, in *Pálacaticéri*, in *Calicut*, aliisque Malabariae, regni *Concam*, et *Canara* locis, infinitos laqueo sustulit Christianos. Multos elephantium pedibus alligatos convolvi, proterique curavit, aliis nares abscindi jussit, alios circumcidi, Mahumedanisque mulieribus tradi praecepit, vice versa chistianas uxores Muhamedanis viris tradens. Vox et manus in tabula haeret: tanta et tam atrocia sunt quae de hoc Tyranno dicenda essent. Dirutae pene omnes ecclesiae, profugi ex iis Sacerdotes, sine certa lege, et spirituali adminiculo multi christiani martyres. Dirutum in monte Mariano ad colles oppidi *Mangalor* seminarium, ex quo *P. Joachimus de Miranda* cum aliis 15. clericis et Sacerdotibus Ca-

narinis Verapolim fugere coactus. Huc confugere etiam Missionarii ex *Ciringapatna*, et R.P. *Franciscus Pavone* S.J. regni *Maissur* Missionarius, qui tamen invecta per Anglos anno 1792. in ea regna pace, iterum cum uno Malabarico Sacerdote ad illas ecclesias restaurandas rediit.

Religio Christiana in India semper majorem cladem accepit ab alienigenis Muhamedanis, quam ab ipsis Ethnicis veris indigenis. Hi naturali philosophia imbuti, atque naturae ductum sequentes, indole etiam suavi et pacifica, a miti Indiae climate eis indita, praediti, sanguinis effusionem ac persecutionem in alios satis aversantur, et alienigenarum religiosas opiniones aequo animo tolerant. Non ita Muhamedani. Circa annum 1209. quo *Ginghis-Chan* Tibeti regnum invasit, adhuc ducentum circiter millia Christianorum in regno *Tibet*, in *Turckestan*, in *Corosan*, atque in Indica urbe *Cabul*, *Cashemir* et *Lahùr* versabantur. *Hananjeshu* Nestorianorum Patriarcha circa annum Christi 778., et post eum *Thimotheus* in haec regna et urbes, quin in ipsam *Chinam* Episcopos et presbyteros Syros ad Christianos illos regendos et instituendos mittebant. Vide Renaudot, *Anciennes relations* pag. 319. 320. et p. 269., ubi ex *Abulfergio*, atque ex Nestoriana historia testimonia producit. *Jabalaha* Tibeti Episcopus a *Denha*

suo antecessore institutus, indigena fuit ex *Khátá* seu *Cattaya* oriundus. *Turkestan*, *Tangut* seu *Tibet*, *Cambalu*, urbs *Cashgar* et *Navakat*, id est, *Navacòtta*, suos Metropolitanos habebant, qui illis christianis praeerant. Ipsa uxor *Ginghis-Chani*, filia regis *Ung-Chan* christiana erat ex Patre christiano nata: et *Jabalaha* Episcopus *Khátta* seu *Tibeti* a Tatarorum Imperatore *Abascha-Chan* Hierosolymam missus fuit, ut nomine ejus Christi Domini sepulchrum inviseret ac veneraretur. *Ginghis-Chano* successit *Timur* in India circa annum 1409., promovendae sectae *Muhamedanae* ardore flagrantissimus. Is a hominum memoria omnium crudelissimus uno decreto, et una fere hora centum circiter mille Indos indigenas, inter quos non pauci Christiani, ad urbem *Delhy* in India interficit. Vide *Histoire de Timur-Bec*, *Ecrite en Persan par Cherefeddin-Aly*, *traduite en François par Mr. Petit de la Croix*, tom. II. cap. 18. *pag.* 89. 90. In hac *Timuri* Indica invasione natalis Indica Brahmanica religio primum cruentum vulnus accepit, atque ab eo tempore in solo fere regno *Nepal*, apud *Mahárattas* seu *Mahárásbdas*, in *Malabaride*, in *Madhura*, in *Tanjaur*, in regno *Bettia*, aliisque nonnullis provinciis, quae indigenis gentilicis regibus subditae permanserunt, sana et incolumis perduravit. Hanc et Christianam ex regno *Carnàda*, *Ca-*

nara, *Maissur*, *Madhura* et *Malabaria* exstirpandi secundus Timur, *Nabab Tipu* سعيد بهدير Said Behadir *Sultan* animum et consilium concepit. Caesa, ut diximus, ab anno 1787. usque 1790. in praedictis regnis plusquam triginta Brahmanum, Nayrum, et Christianorum millia. Aliqui laqueo suspensi, alii elephantum pedibus alligati et protriti, alii circumcisi. Matribus in arbore suspensis ad collum fune aut vimine annexi infantes, mulieres Christianae et gentiles Muhamedanis datae, et vicissim Muhamedanae Christianis. Templa Christiana diruta, sacerdotes pulsi, Christiani profugi fame, siti, morbis comsumpti. Felix improbitas unius Principis omnium facta est calamitas. Incomprehensibilia in hac re sunt judicia Dei. Is populos et regna corripit, attollit, deprimit, moderatur, nunc fidem serit, nunc transfert aut exstirpat. Si pro humana mentis imbecillitate de his divinis judiciis loqui liceret, dicerem, quod radix harum persecutionum fuerit *Brahmanum* et *Christianorum* superbia. Hi et illi jam nulli subesse, nulli obedire, indolem suam sequi, divina negligere, in vitia diffluere coeperant. Hinc

Acrior hoste
Luxuria incubuit victumque ulciscitur orbem

Lucanus.

Confer hist. Ginghis-Chan *pag.* 186. Albulfarg *p.*289. Abulf. n.522. et hist. Nestor. *Arab. ms.* apud Renaudot *pag.*320. Ven. Palafox Episcopi Osmensis *Hist. de la Conquete de la Chine par les Tartares*, Paris 1670. *cap.* 25. *pag.*362. *seq.* Haithoni de Tartaris lib. *cap.6. et* 24. in novo orbe regionum *Bas.* 1532. Adler, *Collectio nova numorum Cuficorum*, Hafniae 1792. pag. 66. 67. 68. et pag. 120. 121. 122. in *dystia Tatarorum vel Mogolorum*. Hae persecutiones, quas attuli, me adhuc in Malabaria versante acciderunt. Anno 1789. die 10. Martii inde excessi, et illis ipsis diebus dum itineri me accingerem, turmae Brahmanum et Christianorum ex regno *Concam* et *Maissur* fugientium me vehementer sollicitum tenebant et occupabant in navicula subministranda, qua miseri illi frequentia Malabariae flumina trajicere possent. Atrocior deinde in ipsa *Malabaria* subsecuta est persecutio, postquam ipse *Tipu Sultan* Malabariam invasit (1), de qua audire juvat Episco-

(1) Anno 1790. die 15. Aprilis agmen ducente D. Lallais Gallo, Nabab Tipu Sultan formid.bili exercitu aggressus est monimenta regis Travaneoridis ad praesidium *Vettiacótta* sita, et ea quae in hoc ipso aditu operatus est, sunt: „ Gia prima di superar la „ linea, distrusse, abbrugiò „ quante Chiese si presentaro„ no avanti la sua marcia, fece „ circoncidere moltissimi di tut„ te le caste (tribù), Cattanari „ (Sacerdotes Syros indigenas), „ Mappuli catholici e scismatici, „ e gentili, e solo si dice di un po„ vero nuovo christiano di casta „ *Parea*, che si lasciò ammazzare „ per non abbracciare il Mahume„ danismo. Alcune delle Chiese

pum Usulensem. Tales fere sunt Indicae persecutiones. Confer *annales Raynaldi* tom. XIV. 1554. XXVII. ubi multis de constantia neophytorum Indicorum tormentis probata disserit.

VIRI ILLUSTRES

Primus in Malabaria, et quidem in oppido *Cranganor*, auxiliatrices praebente manus D. Michaele Vaz Coccinensis ecclesiae Rectore, fundavit, et rexit seminarium P. Vincentius Lusitanus ordinis S. Francisci alumnus. In eo pueris Lusitanis et indigenis rudimenta fidei explicavit, et Christianorum S. Thomae, tunc Nestoriana haeresi scatentium, adole-

,, del Nord fuor di mano restano ,, in piedi, ma sono pochissime. ,, Baleanate, Tazcátte, Cialacudi, ,, Puttencera, chiesa, borgo, re- ,, sidenza, tutto ridotto in cene- ,, re. Entrato che fu dentro la li- ,, nea al nascente d' Ambalacate a ,, Maloer, Angamali fu il primo ,, borgo, che provò il suo fu- ,, rore: abbruciò le due chie- ,, se de catholici, e quella de ,, schismatici, case, seminario, e ,, di più fece circoncidere più per- ,, sone adulte de Soriani, e genti- ,, li di diverse tribù. Borghi, vil- ,, lagi, chiese, case in Agaparam- ,, bil de schismatici, Mangati, ec- ,, cettuata la nostra casa sola, Pa- ,, rur, Cennòtta, Ambalacate chie- ,, sa, collegio, Curriapalli, due ,, cappelle di Cranganor tutto ab- ,, bruciato, e distrutto,,. D. Aloysius Maria a Jesu Episcopus Usulensis, et Vicarius Apost. Malabariae in litteris Verapoli anno 1791. die 23. Martii ad me datis. Eadem scribit R. P. Franciscus a S. Eliseo. Haec persecutio post meum e Malabaria discessum accidit.

scentes ad catholicum dogma pellexit (1). Alii ejus ordinis alumni in regna *Maissur* et *Madhura* primi penetrarunt, ac convertendis gentilibus suam ope-

(1) Jo. Albertus Fabricius, *Salutaris lucis Evangelii*, cap. 32. p. 565. et ibid. apud eum *Dorotheus Aseianus* sive Mathias Zimmermanus *lib. de montibus pietatis Romanensibus*, Jo. Georgius Neumannus Theologus Witebergensis *in dissert. de Missionariis Pontificiis*, Robertus Millar, Weismannus Theologus Tubingensis, aliique acerrime conqueruntur: quod „ *Missionariis Romanae Ecclesiae cordi non sit, Evangelicam doctrinam et pietatem bona fide more Apostolico animis Neophitorum instillare, et veteris novique Testamenti sacras scripturas in eorum manus tradere legendas* „. Denique auctores novissimi libri Anglici inscripti: *Asiatik researches or Transactions of the Society instituted in Bengal*, vol. the second, *Calcutta* 1790. pag. 80. ajunt: *We could not but respect the temple even of a false prophet, in Which we found such excellent morality: we saw nothing better among the* Romish trumpery *in the church of Madera*. Vide etiam librum inscriptum: *Historischer Versuch uber die Zigeuner*, Goettingen, 1787. *Pag.* 6. En itaque Missionarios Apostolicos tamquam impostores traductos, et, si diis placet, ecclesiam Romanam insulae Madeira fano Muhamedano insulae Hinzuan seu Anjuan ex aequo comparatam! In utrisque fanis regnant fraudes, doli, superstitiones, atque ἐθελοθρησκείας. Non dicunt hi auctores, quid regnet in Protestantium ecclesiis. Nonne Theismus et Atheismus, simulatio, incredulitas, omnium scelerum impunitas? Et hoc sacras scripturas veteris et novi testamenti diligenter legendo et secum circumferendo? Jam dudum hac de re conquestus est inter Protestantes vir apprime eruditus La Croze in praefatione ad suam historiam Christianismi Indici, *tom.* 1. *pag.* 13. *edit. Hag. Com.* Deinde, an statim sc gentiles Ethnici Christianis sacris initiantur, in eorum manus veteris et novi testamenti scripturae tradi debent? Videant hi auctores apud S. Hieronymum, quorum librorum sacrorum lectio, et qua aetate hebraeis permissa fuerit. Quid profecerunt in fide codicibus sacris *Indi Tranquenbarenses*, quibus sacras scripturas vitiatas obtrusere Missionarii Dani? Confer supra in hoc opere *pag.* 34.; atque horum auctorum in lacessendo procacitatem et iniquitatem tu ipse dijudica.

ram et studium contulerunt. Vide *Memorie storiche sopra le missioni del Malabar*, tom.1.lib.1.pag.12.13. Hos secuti sunt in Angamalensi dioecesi circa annum 1587. P. Bernardinus Ferrari e S. J. et Sacerdos Petrus Luiz indigena Malabaricus, primi inter Christianos Thomaeos praedicatores. Vide P. Francisci de Sousa, *Oriente conquistado a J. C.*, tom. 2. conquista 1. Oram Travancoridis, et Piscariam ab anno 1542. circumivit, ac lustravit S. Franciscus Xaverius, et post eum P. Franciscus Mansilla, Nicolaus Lancelotus, Antonius Criminalis, Belchior Nunez e S. J., et D. Georgius Themudo ord. Praed. primus Episcopus Coccinensis, viri omni laudum encomio majores, qui primi in ora Travancoridis scholas, ecclesias, collegia, et Christianam religionem fundarunt. Vide *Oriente conquistado*, et 1. *lib. epist.* S. Francisci Xaverii. Horum labores exceperunt P. Henricus Henriquez e S.J., Adamus Franciscus S. J. laicus, P. Nicolaus Nunez, qui anno 1546. mense Octobri Coccinum appulerunt, et Collami, Anjengae, Mampulli, in Tiruvancor, Còttáte, et Manapar strenue vineam Domini excoluerunt. Anno 1577. Coccini primus characteres Malabarico-Tamulicos sculpsit Joannes Gonsalvez Hispanus laicus S.J., quibus primò catholicae fidei rudimenta typis edita, Indiae innotuere. Anno 1578.

in *Punicail* characteres Tamulicos orae Piscariae et Coromandelicae peculiares conflavit, et elaboravit P. Joannes de Faria S. J., quibus edidit opus inscriptum: *Flos sanctorum*, Oriente conquistado, *conpuista 2. divisao* 1. *pag.* 229. Examen hist. crit. cod. bibl. S. Cong. de Prop. Fide, *pag.* 56.57. Anno 1679. in oppido *Ambalacáta* in lignum incisi alii characteres Tamulici per Ignatium *Aichamoni* indigenam Malabarensem, iisque in lucem prodiit opus inscriptum: *Vocabulario Tamulico com a significaçao Portúgueza composto pello P. Antem de Proença da Comp. de Jesu, Miss. de Maduré*. Extat in bibl. S. Cong. de Prop. Fide. Vide Examen cit. *pag.* 57. Grammaticam Tamulicam composuit P. Baltasar de Costa S.J., quam anno 1685. Verapoli descripsit P. Petrus Paulus a S. Francisco Carm. Disc. postea Archiepiscopus Ancyranus. Circa annum 1620. R. P. Donatus ord. Praed. linguae Syro-Chaldaicae peritissimus in oppido *Cadaturútti*, quod vocabulum alii corrupte *Carturti* scribunt, inter Christianos Thomaeos suo aere ecclesiam exstruxit S. P. Dominico sacram, quae hodiedum exstat. In ea celebri fama docebat linguam Syro-Chaldaicam, ad cujus institutionem plerique clerici Thomaei convolabant. Hi eum in episcopatu Angamalensi Stephano de Britto sufficere peroptabant, et fortassis per ejus electionem ansa

schismati praecisa fuisset, quod deinde sub Francisco Garzia Stephani successore ecclesiam Malabarensem invasit. Ex hac schola, cui olim praefuisse videtur P. Franciscus Roz S.J. Catalanus, P. Franciscus Garzia, et P. Sameria S.J., prodiit anno 1610. eximium dictionarium Syro-Chaldaicum, manuscriptum in folio, ut ajunt, majori, quod anno 1779. adhuc inter cimelia ecclesiae S. Thomae *Carturti* in arca Emanuelis Matthaei (Mani Mattu) Cassanarii asservabatur. Anno 1675. R.P. Matthaeus a S. Joseph Carmelita Discalceatus vir linguae Arabicae et medicae artis peritissimus cum *Itti-Aciuden* Doctore Malabarico, postulante D. Henrico Van Rheede Coccini Praefecto, operam suam contulit in describendis Malabariae herbis et plantis, ac earum proprietatibus recensendis; quod insigne opus deinde vulgatum fuit cum notis et commentariis *Arnoldi Syenii* et *Joh. Commelinii* Amstelodami IX. voluminibus instructum typis viduae *Van Somern* anno 1678. Vide Alphabetum Grandonico-Malabaricum pag. VII. et 12. ubi hoc opus, *Hortus Malabaricus* inscriptum accuratius recensetur. R.P. Mathaeus a S. Joseph vera Catholicae religionis, post schisma anno 1953. inductum, in Malabaria columna, et missionis Verapolitanae insigne decus, schismaticos primus prae ceteris acriori studio reduxit; D. Alexan-

drum de Campo Episcopum Megarensem e latebris ecclesiae Corolongattensis produxit, et Batavis amicitiae foedere conjunxit; D. Van Rheede virum heterodoxum catholicis propitium reddidit; domum Cettiatensem suo aere construxit, Verapolitanae missioni stabile fundamentum jecit; denique nonagesimum circiter suae aetatis annum agens, plenus meritis Coccini obiit. Corpus ejus Coccino sublatum Verapoli conditum fuit anno 1691. Capuae ortus, in conventu Matris Dei Neapoli carmeliticum institutum professus est. In excolenda Malabariae christianitate strenuos successores et socios habuit R. P. Bartholomaeum a Spiritu S. Mutina oriundum, P. Amandum a S. Elia Germanum, patria Vestphalum Mindensem in ditione Brandeburgensi natum, et provinciae Viennensis in Austria alumnum. Ille anno 1676. in electione D. Raphaelis de Figueredo in episcopum Adrumentinum, quam virili animo ipse in opus deduxerat, innumeras persecutiones sive a D. Van Rheede, sive a nepotibus D. Alexandri de Campo concitatas virili animo pertulit. Tandem veneno a Schismaticis eidem propinato correptus, et vehementi laterum dolore oppressus anno 1680. die prima Februarii in Mattincéra, innocentia morum, prudentia, vitae exemplo, zelo fidei, et in tolerandis malis mira constantia praeditus,

animam placide Creatori reddidit. Corpus ejus anno 1681. die 1. Nov. Verapolim translatum in ecclesia S. Joseph conditum fuit. Vir adeo probatae et spectatae virtutis erat, ut ne inimici quidem dicterium aliquod in ejus personam proferre, aut vitae ejus aliquam labem affingere auderent. P. Amandus legum canonicarum peritus, eloquentia et liberali doctrina politissimus, judex acer et diligens, infinitae D.Raphaelis de Figueredo cupiditati se columnam ferream, et murum aeneum opposuit, ac eum saepe scite et litterate confutavit. Innumera ejus exstant manuscripta in chartophylacio Verapolitano. Fato cessit anno 1698. die 3. Julii. Vitam utriusque scripsit P. Angelus Franciscus a S Theresia eorum sodalis et laborum particeps, qui postea fuit Episcopus Methelopolitanus et Malabariae Vicarius Apostolicus, vir vitae sanctimonia, miraculorum gloria, Apostolico zelo, morum integritate praestantissimus. Vide de primis his Missionariis Carmelitis ac de Apostolicis eorum laboribus Anquetilii du Perron *Zend-Avesta* edit. Paris. anno 1771. tom: 1. *Discours prélim.* pag. clxxx. in notis; et de operibus manuscriptis D. Angeli Francisci Episcopi Methelopolitani, D. Johannis Baptistae Episcopi Limirensis, R. P. Ildephonsi a Praesentatione, R. P. Clementis a Jesu, aliorumque Malabariae Missionariorum no-

strum Examen historico-criticum cod. bibl. S. Cong. de Prop. Fide *pag.* 54. 55. 57. *et seq.*, et Johannis Christophori Amadutii praef. in *Alphab. Grandonico Malab.* Romae 1772. *pag.* XIX. *et seq.* Praeter opera quae ibi jam recensuimus, exstat apud me R. P. Ildephonsi a Praesentatione Carmelitae Discalceati Ungari *Sakolczensis* Alphabetum Granthamicum, seu grammatica Malabarica pluribus exemplis et linguae speciminibus rite illustrata; vocabularium Malabarico-Lusitano-Latinum; annales Missionis Malabaricae ab anno 1653. usque ad annum 1740. ex schedis Verapolitanis eruti, et lingua Italica conscripti, quorum supra meminimus; ac denique variae ejus epistolae Malabaricae et Lusitanicae ad regimen ecclesiarum pertinentes, quas ad Parochos Vicariatus Apostolici scripsit. Omnia haec opera manuscripta exstant, atque satis dilucide indicant: P. Jldephonsum virum fuisse eximio religionis zelo praeditum, vitae et morum integritate conspicuum, in labore assiduum, disciplinae ecclesiasticae vindicem severum. Obiit Parochus Zaguriae in Polonia anno 1789. His accensendus est R. P. Stephanus a Ss. Petro et Paulo Carm. Disc. Malabariae Missionarius, cujus varia opuscula manuscripta apud me ad S. Mariae de Scala exstant. Ea sunt 1. Alphabetum *Indostanum*, cui accedit grammatica, dictio-

nariolum, et doctrina christiana. II. Alphabetum *Talenga*, seu Talinganicum cum grammatica, syntaxi, et rudimentis ac orationibus christianis. III. Alphabetum insulae *Giava* seu Java. IV. Alphabetum insulae *Formosae* cum precibus christianis. V. Orationes et rudimenta fidei in lingua *Bengalina* elementis latinis. VI. Rudimenta fidei et preces in lingua *Kariri* Brasiliana elementis latinis. VII. Exemplar epistolae lingua Gallica scriptae anno 1742. ex urbe Macao per D. *Connain* Miss. Apost. ad Abbatem Imbert in classi Gallica *Jason* dicta religionis moderatorem super cultu idolorum, quae his temporibus a Sinensibus coluntur. VIII. Variae notitiae de diis, templis, ritibus, sectis, et superstitionibus Indorum. IX. Vocabularium vulgaris linguae Malabaricae, quod in bibl. collegii ad S. Pancratium exstat. Laboriosus et acris judicii vir provinciae Venetae alumnus. Ipsius commilito et socius erat P. Bonifacius a Puero Jesu Melitensis, qui suae missionis diarium scripsit. Hic anno 1748. die 29. Octobris Verapoli Romam profectus est, et inde in Malabariam redux Bassorae anno 1751. die 25. Septemb. ex morbo in itinere contracto decessit, cum secum duceret Alexium Gonsalvez indigenam Malabarensem collegii S. Cong. de Prop. Fide alumnum. Exstat hoc diarium in scriniis Verapolitanis. Alter ejusdem soda-

lis fuit P. Geminianus a S. Octavio Prov. Longobardicae, cujus innumerae exstant epistolae Malabaricae ad varias ecclesias scriptae, diarium, annotationes, et relatio status missionis Malabaricae eleganter scripta, ac circa an. 1753. S. Congregationi exhibita. Vir erat sagax, in praedicando, et instruendis parvulis indefessus, in lustrandis parochiis assiduus, regulis et Batavis gratus, in promovenda ecclesiastica disciplina, et erroribus exstirpandis acer et diligens; quamquam non satis gratus Anquetilio du Perron, qui virum exiguo honore afficit, non sane ob aliam caussam, quam quod in hospitio missionis Matincerae fortassis nec benigne, nec laute ab eo exceptus fuerit. Vide *Zend-Avesta*, disc. prelim. pag. clxII. et seq. *in notis*. Inter Thomaeos christianos indigenas Malabarenses doctrina, linguae peritia, et arte poetica excelluerunt I. Cadavil Alexander Cattanar seu Sacerdos ritus Syriaci, oriundus ex Corolongata, qui lingua Syro-Chaldaica Malabarensi composuit viginti duas cantilenas in laudem augustissimi Eucharistiae Sacramenti. Vide in annalibus P. Ildephonsi epistolam totius Syro-chaldaicae christianitatis anno 1632. die 19. Decemb. Rapolino ad regem Lusitaniae scriptam. II. vitam S. Pauli Apostoli more patrio metro Malabarico scripsit Calucéri Itti Thomas Cassanar Jacobita. III. vitam S. regis Da-

vid pariter ligata oratione composuit Udupa (Joseph) Cassanar schismaticus Jacobita. IV. vitam S. Job Patriarchae metro eleganti Kurvula seu Georgius Cassanar oriundus ex Pattona Parur. Hic idem cecinit accessum et missionem in Malabariam Praesulum et Monachorum Basilii, Gregorii et Johannis, cantiunculam pro remigibus, quae incipit: *Cindurágam*. Hic Jacobita adhuc vixit anno 1789. dum ego ex Malabaria discessi. IV. carmen de diluvio, aliisque veteris testamenti capitibus, *Arruvadnaladi* dictum, composuit *Cumari Nayer* cathecumenus, qui dum gentilis esset, contra christianos scripserat carmen, cujus exordium est: *Arrivilade naragatil poguvan [árkáshayullu*, id est: *Quis in ignorantia constitutus desideret infernum*? VI. varias meditationes, sermones et preces christianas elucubravit P. Franciscvs Xaverius ex Brahmane seu Sacerdote gentili Sacerdos christianus, vir pius et probus, qui in Domino decessit in Aragoshe. Vitas Sanctorum descripsit *Matay Matay* Cassanar, oriundus ex *Angicaimal*, D. Florentio a Jesu Episcopo Areopolitano Verapoli amanuensis. Sed incertum, et supposititium est exemplar privilegiorum ab Imperatore *Ceramperumal* Christianis S. Thomae concessorum, quod affert Anquetil du Perron in *Zend-Avesta* disc. prel. *pag*. clxx. *et seq.*, anno 1758. ab hoc Sacerdote acceptum. Nam I.

ipse D. Florentius Episcopus Areopolitanus in sua epistola ad Anquetilium scripta non designat locum, ex quo exemplar illud extractum, aut in quo repertum fuit. 2. La Croze, et Raulinius in hist. synodi Diamperitanae *cap.* 1. *pag.* 8. palam et aperte docet: laminas illas aeneas, in quibus exarata erant privilegia christianorum a *Ceramperumal* concessa, injuria Procuratoris Lusitani, apud quem eas *Mar Iacob* Episcopus deposuerat, periisse. Talis etiam est universalis traditio eruditorum Malabariae. 3. Numquam hoc exemplar produxerunt christiani coram rege Coccinensi et Travancorensi, dum de privilegiis, infractione eorum, aut dignitate christianorum, vel decore ecclesiarum agebatur, aut dum aliqua persecutio in ecclesias excitabatur. 4. Privilegia haec in *Collam*, et in *Tévelicarè*, ubi scripta delitescere Anquetilius crediderat, ego sedulo quaesivi, nec invenire potui. Exemplar itaque illud *Matay* Sacerdotis incertum et supposititium est, ut apocryphae sunt duae epistolae ab eo exaratae: una B. V. M., scripta ad S. Ignatium Patriarcham Antiochenum, altera ejusdem ad Messinenses, quas Matay Matay Verapoli pro veris et genuinis venditabat. Praestantissimus Malabaricus scriptor est Jaco Mapula seu Jacobus christianus Thomaeus, qui contra gentiles elucubravit opus inscriptum: നിഷിദ്ധ [illegible] *Nishi-*

dhaparva, vel *Dushiparva*, seu *poema contumeliae* dictum, quo Indorum gentilium deos, ritus, lustrationes, superstiones egregie carminat, perstringit, risui et abominationi exponit. Hoc qui publice legunt, comprehensi ad gentilium tribunal perducti, poena aliqua, aut mulcta plectuntur. Haec omnia opera in Malabaria reperiuntur manuscripta. Hos scriptores omnes metri elegantia, linguae Samscrdamicae peritia, mira et incredibili diligentia longe superavit R. P. *Johannes Ernestus Hanxleden* Ungarus S. J. Extant ejus opera manuscripta: I. Grammatica Granthamica seu Samscrdamica, prima quae apparuit in Europa. II. Vocabularium Malabarico-Samscrdamico-Lusitanum. III. Grammatica Malabarico-Lusitana. IV. Quatuor insignes cantus seu tractatus metro Malabarico scripti de quatuor novissimis *Nálaparva* dicti. V. Cantus de S. Genoveva Germaniae comite. VI. De tristitia B. M. V. carmen *Umáde dukham* dictum. VII. Vita Christi Servatoris, seu 4. Evangelia metro facili et eleganti composita, quae *Mishihàde pàna* dicuntur. VIII. Hymnus *Ave maris stella* metro Malabarico eleganter redditus, et alia nonnulla carmina, quae omnia in Malabaria vulgo canuntur, ac veluti tot optimi metri specimina in scholis christianis proponuntur, christianis et gentilibus gratissima. Labore fractus decessit P. Hanxleden in

ecclesia Pashur anno 1732. die 20. Martii. Prima opuscula exstant in biblioth. S. Cong. de Prop. Fide.

In regno *Madhura* insignem catechismum elucubravit R. P. Robertus a Nobilibus Romanus S. J., qui lingua Tamulica conscriptus typis editus fuit Trangambariae. In eo vir etiam Samscrdamicae linguae peritus et acuti ingenii, gentilitatis Indicae errores acriter et dilucide revinxit, et dispulit. Exstat ejus exemplar Lusitanum Verapoli, et aliud in bibliotheca regia Parisiis (1). Dictionarium linguae Tamulicae composuit R.P. Aloysius Natalis des Bourges Gallus S. J., quod tamen dictionum correctione, et delectu, verborum copia ac linguae nitore maxime superat Lexicon Tamulicum R. P. Constantii Josephi Beschii, qui triginta annorum periodo, qua ab omni Europaeo commercio segregatus in regno Madhura vixit, illud conscripsit, perpolivit, elucubravit. Plura ejus in India exstant exemplaria ms. Confer *n.* 284. et *num.* 222. catalogi cod. ms. bibl. regiae Paris. Grammatica vulgaris Tamulicae linguae *Condundamil* dictae ejusdem P. Beschii, typis vulgata fuit Trangambariae anno 1739., cum egregiis additionibus Waltherii Missionarii Dani. De hac, et grammatica D. Bartholomaei Ziengenbalg Miss. Dani vide nostrum *Exa-*

(1) Catalogus codicum Indicorum ms. bibliothecae regiae. Parisiis ex typogr. regia, anno 1739. *num.* v. pag. 434.

men historico-criticum cod. ms. bibl. S. Cong. de Prop. Fide, *pag.* 52. 53. 54. De reliquis operibus Miss. Madhurensium vide opus inscriptum : *Lettres edifiantes*, et collectanea Parisiensia pro scientiis et artibus (1) . De R. P. *Joseph Tiefentaller* Tirolensi, ejusque operibus consule Anquetilii du Perron *Recherches historiques* etc. part. 2. *pag.* 421.

In regno Bengala et Nepal illustres viri ex ord. PP. Capucinorum sunt 1. R. P. Josephus a Carignano, cujus dialogi lingua Indostana conscripti et regi Bettia dedicati exstant in bibl. S. Cong. de Prop. Fide *num.* XXIII. Succedit R. P. Franciscus Maria Turonensis, qui in urbe Surate voluminosum conscripsit vocabularium Indostanum, *Thesaurus linguae Indianae* inscriptum, quod exstat in bibl. S. Cong. de Prop. Fide *num.* XIII. De utroque hoc libro nos accuratius disseruimus in Examine historico critico *pag.* 57. 58. *et* 70. R. P. Antonius Andrade Lusitanus S. J. anno 1626. in regno Tibeti in urbe *Lhapranga* missionis Christianae prima fundamenta jecerat, et circiter 70. annis eam administraverat. Verum sive operis asperitate, sive Lusitanorum clade er calamitatibus Indicis haec missio paullo post nutare ac vacillare

(1) Mémoires pour l'histoire des sciences, et beaux arts, à Paris chez Chaubert,

coepit. Quare cum PP. Soc. Jesu eam Clementi XI. renuntiassent, P. Franciscus Maria cum aliis quinque ordinis sui Provinciae Picenae alumnis a Clemente XI. in Tibetum mittitur. Is cum in urbem Surate pervenisset, Mar Simoni Episcopo Adensi Syro-chaldaeo ex Diarbekier oriundo junctus Verapolim appulit anno 1701., quo praedictus Mar Simon a Catholico Episcopo *Mar Tonsif* in Indiam missus, D. Angelum Franciscum a S. Theresia in Episcopum Methelopolitanum consecravit. Ille Pondicerii in puteum prolapsus decessit, et an. 1720. die 16. Aug. Pondicerii in ecclesia S. Mariae Dominae Agelorum conditus fuit, ut refert catalogus mortuorum ejusdem ecclesiae anno 1787. publica auctoritate inspectus. R. P. Franciscus Maria Turonensis Pondicerii obiit; vocabularium autem, quod olim in Surate composuerat, et ex India Romam redux apud suos reliquerat, bibliothecae S. Congregationis illatum fuit anno 1704., ut perspici potest ex apocha Illustrissimi D. C. A. Fabroni, tunc S. Cong. a secretis, hujus vocabularii calci affixa. 3. Doctrinae et fidei zelo celebris est R. P. Horatius Pinnabillensis, qui 33. annos inter infideles versatus, et missioni Indostanae ac Nepalensi praefectus decessit anno 1747. die 20. Julii in regno Nepal et urbe *Patan*, Nepalen-

sibus *Helá* dicta. Vide de eo Alphab. Tibetanum *pag.* 435. 4. Plurima laudis encomia tribuit R. P. Marcus a Tumba in cod. ms. in fol. Musei Borgiani Velitris, pag. 91. 92. et seq. R. P. Tranquillo Miss. Capuccino, qui per abdita viarum et arduos montes ex Indostano et Nepal in Tibeti regiam urbem *Lhassa* penetravit. Hujus herois iter distincte describit P. Marcus a Tumba, quod ad cognoscendam locorum topographiam maxime legi meretur. 5. Opera ms. R. P. Marci a Tumba, et R. P. Constantini ab Asculo accurate jam recensuimus in Examine historico critico *pag.* 73., et in opere inscripto: *Musei Borgiani codices manuscripti Avenses, Peguani, Siamici, Malabarici, Indostani*, Romae 1793. *pag.* 133. 158. 163. 168. 169. Hi fere sunt Indici ecclesiastici scriptores, quorum opera mihi perspecta sunt.

CONSECTARIA

I. Maximae sint Deo O. M. gratiae, quod per Lusitanos gentem *Catholicam* Catholicae fidei in Indiam aditum aperuerit. Singularis in hoc etiam Dei miserentis elucet Providentia, quod, cum ii criminibus insordescentes, religioni in India conservandae jam minus idonei, e sedibus suis pulsi

fuissent, ita suaviter regat, moveat, et moderetur regum infidelium et haereticorum corda, ut hi religionem Catholicam ejusque ministros non solum tolerent et recipiant, sed etiam foveant, ac potestate sua tueantur. II. Quisquis hoc opusculum perlegerit divinam virtutem, et bonitatem jure merito admiretur. Ipsa praedicatores excitat, et praemittit, ipsa eos sequitur, infidelium mentes movet et illustrat (1), ad fidem adducit, religionem alit, in persecutionibus sustinet, gregem fidelium auget, et quos ad gloriam praedestinavit, eos benigne et suaviter seligit, ac sibi servat. Non inania aut sensu carentia verba damus. Videat Lector innumerum ad Christi caulam reductum gregem, messem candidam et rutilantem, heroes Christi martyres, confessores, administros omni laudis encomio majores contempletur. III. Videant et erubescant nostri aevi Philosophi, et ordinum regularium inimici, qui eos Ecclesiae inutiles, inertes, supprimendos, exstinguendos esse clamitant, et persequuntur (2). Non ratiunculas, sed facta et rerum pondera afferimus. Septuaginta novem Episcopos, ut nunc de aliis mundi plagis taceam, soli Indiae trium saeculorum non dum elapsa perio-

(1) S. Greg. *Hom.* 17. in Evang.

(2) *Nécessité de supprimer les ordres religieux*, à Londres 1789. tom. 1. *Discours préliminaire*.

do, Ordines Regulares subministrarunt, et inter hos plerosque viros insignes, qui animam et vitam in virtutis decus, in augmentum ecclesiae Christi, in proximi emolumentum, in propagationem Divini Nominis contulerunt et impenderunt (1). Videant etiam hi Philosophi, et obtrectatores hunc ingentem catalogum librorum, grammaticarum, Lexicorum, catechismorum, relationum, itinerariorum, quibus primo per Missionarios orbi innotuere In-

(1) Non diffitetur hoc inter Protestantes vir apprime doctus Jo. Albertus Fabricius in sua *Salutari luce Evangelii* cap. XXXII. pag. 550. et seq. *de Missionibus Religiosis*, ubi Dominicanorum, Franciscanorum, Jesuitarum, Carmelitarum studia et conatus in promovenda religione describit, atque ingentem librorum, relationum, historiarumque catalogum affert, per quas Asia, Africa, America, aliaeque abditae et olim ignotae orbis partes nobis innotuerunt, et veritatis luce illustratae sunt. Hoc sanctissimum studium per Apostolos apertum, eorum sanguine signatum, atque in Ecclesia Romana a prima sua institutione semper conservatum, cum primis exequitur *S. Congregatio de Prop. Fide*, anno 1622. x. kal. Jul. a *Gregorio* XV. P. M. instituta. Hujus institutionis norma, et excellentia ipsos etiam Protestantes permovit et induxit, ad similia instituta capessenda et formanda. Quare anno 1647. supremo Anglicani Senatus decreto condi coepta, et deinde perfecta fuit *Societas regia Anglicana de promovendo Evangelio in partibus transmarinis*. Vide *An Account of the Society for Propagating the Gospel in foreing parts*, London 1766. Act. Erudit. A. 1713. *pag.* 414. Simile collegium institutum in insula *Bermuda de propagando apud Americanos Evangelio*; et celebre est *Collegium regium Hafniense de cursu Evangelii promovendo*, quod ob praestantiam virorum, qui ex eo exierunt, et multitudinem gestorum illustrium, quae iidem operati sunt, Protestantes nobis identidem opponunt. Vide de his tribus collegiis Fabricii *Salutarem Lucem Evangelii*, c. XXXV. p. 588. et seq.

dicae linguae, populi, regna, mores, ritus, religio et civilis cultus. Non diffitetur id anonymus auctor Germanus compendii historiae universalis Viennae anno 1783. imperante Josepho II. typis editi (1). IV. Brevi illa temporum intercapedine, quae a stabilita in India Catholica religione ad nostrum aevum intercedit, decem sive ex Mosula, sive ex Perside in Malabariam haereseos propagandae caussa Episcopi appulere. Quam ob caussam haec itinera? Cui bono hoc studium et conatus, nisi quia Patriarchae Antiocheni Jacobitae, et episcopi Nestoriani Evangelicum divinae legis promulgandae praeceptum etiam ad se pertinere arbitrantur? Et hoc studium, hoc praeceptum in divinis litteris tam palam et aperte expressum ad Ecclesiam Catholicam veritatis magistram, atque ad ejus Praesules potiori jure non pertineat? Remissius, minus diligenter, ne dicam, otiose ipsi hoc praeceptum exequantur? Vae Superioribus illis, quorum interest Sanctarum Missionum opus curare, cum nec ipsi legi Evangelicae promulgandae dant operam, nec Operarios ad vineam Domini mittunt! Invigilare eos Dominus jussit, quasi rationem reddituros de grege, qui extra caulam Ec-

(1) Lehrbuch der allgemeinen Weltgeschichte, Wien bey Th. von Trattnern 1783. *pag.* 222. 318. 319.

clesiae versatur. Cortex Indiae, littora, et illa regna ac urbes notae sunt, atque fidei luce imbutae, ad quas insatiabilis auri cupido Mercatores duxit, aut ipsis eas subdidit. Mediterranea Indiae, populi infiniti, regna vastissima luce veritatis privata adhuc caecutiunt, et spissis gentilitatis tenebris obvoluta manent. Si qui excellentes et religionis zelo praediti viri in regno Tanjaur, in Madhura, in Maissur, in Concam, in Carnate, in Golconda, in Balagate, in Agra, in Delly, aliisque Indiae mediterraneis locis religionem promulgaruut, eorum zelus et religionis lumen temporis et locorum asperitate evanuit, quia nemo est, qui laboris socios submittat, nemo qui facultatibus suis sancte incoeptum missionis opus fulciat et sustineat. Suppressa Societate Jesu omnes fere illae ecclesiae pastoribus viduae lugent, et Christiani sine certa lege et lumine vagantur. Hic mortalis torpor, hoc lethiferum otium, hic religionis contemptus, ejusque propagandae summa negligentia, metuendum periculum affert, ne Deus, qui gratis dat et retrahit, qui humiliat et attollit, qui remuneratur, et plectitur, honorem sui sancti Nominis a nobis auferat, eumque alteri extradat genti uberiorem fructum ferenti, et illius gloriam ardentius quaerenti; id quod omnium malorum, quae

Christiano homini accidere possunt, est maximum: Videant etiam Ordinum Regularium Superiores quo zelo, et quo conatu sancta majorum instituta de missionibus exercendis promoveant et exequantur. Verbum Dei praedicare, vel Monasticis studiis obsequi, vel in lege Dei die et nocte meditari, omnis Monastici instituti scopus, fons et origo est (1). Quo zelo, quo conatu, qua diligentia haec tria perficiuntur? Nulla hic diffugia valent. Pauci erant socii ipsius S. Benedicti, pauci in exordio Societatis ipsius S. Ignatii, pauci vivente adhuc S. Theresia Carmelitae Discalceati, et tamen illi pauci jam verbum Dei praedicabant, aliqui ex iis sacras missiones petebant, alii, qui praedicando et studendo impares erant, dupliciter orabant (2). *S. Benedictus* (gentiles) *praedicatione continua ad fidem vocabat* (3). *Crebro pro exhortandis animabus fratres suos mittere Benedictus Dei famulus curabat*. Et S. Ferreol. in regula: *Qui non valet resistere operi, det promptius operam lectioni; quicumque agrum non excolit, Deum dupliciter colat.* Et S. Evagrius cod. reg. append. 36. pag. 36. *Conversationem Monachi custodit scientia* (ut praedica-

(1) Gli stimoli Mabilloni, per movere li Religiosi ad applicare agli studj, Roma 1725. *pag.* 27. 72. 73. 78. 79. 48. 153. 186.

(2) Lib. et loc. cit.

(3) S. Greg. *lib.* 2. dial. *c.* 8. *et* 36.

tio et oratio), *qui autem ab ea discedit, incidit in latrones. Si paucitas obsit, et multitudinem praestolamur, laxitatem et temporem* (vel excidium) *irrepentes simul expectabimus. Mora quippe, ac multitudine animi defervescunt, et legum custodia languet: tunc autem quorsum congregatio propagetur? Satius enim erit degenerem jam gentem exstingui*. V. P. Joannes a Jesu Maria Carm. Disc. *Lib.* 3. hist. gen. Carm. Disc. *tom.* 1. *pag.* 364.

Ut autem dilectissimis fratribus meis Carmelitici instituti, cujus curae plures insignes Indicae ditiones a summis Pontificibus creditae fuerant, acriores stimulos addam, juvabit heic paucis sancta majorum instituta et exempla proferre, quibus inspectis confido fore, ut languens sanctarum missionum studium excitetur et accendatur. Primo quidem Sanctae Matris et Institutricis nostrae Teresiae libros aperiamus, quaeque praecipua instituti nostri ratio, finis, et scopus sit inspiciamus (1). *Per hoc tempus*, ait ipsa, *ad aures meas pervenerunt errores haereticorum, damna atque strages ab illis in Galliam invectae, ipsorumque perniciosas sectas latius propagari, in diesque hujusmodi malum ingens incrementum summere .... utque aliquo remedio tantis malis occurrerem mille mortes adire desiderabam, si uni soli*

(1) Itin. Perfect. *cap.* 1. *n.* 1.

ex illis adjumento esse posse scirem. Verum quia mulier, perspiciebam mihi omnino impossibile esse, id quod desiderabam, et necessarium erat Domino inservire (nempe docendo et praedicando), *ideo unum quod in me erat exequi statui, hoc est: perfectionem Evangelicam in monasteriis Monialium stabilire, et die ac nocte orationi vacare, ut vel sic Praedicatoribus, Missionariis, litteratis, omnibusque defensoribus Ecclesiae auxilium qualecumque afferre possemus.* Haec igitur sunt Seraphicae Virginis verba, hi sunt Sanctae Matris Nostrae genuini sensus, quos etiam nostri temporis illustris illius filia agnovit et imitata est (1). Et in hos sensus oculos et animum intendant Ordinis Superiores, ac nova germina, adolescentes nostri suae et aliorum salutis studiosi. Prima nostrae Sanctae Institutricis cogitatio est praedicatio, suae et aliorum salutis cura, Ecclesiae Jesu Christi propagatio, haereticorum et infidelium conversio, zelus et salus animarum. Dum huic sanctissimo molimini sexus, imbecillitas corporis, infirmitas animi, aut alia

(1) Vide librum inscriptum: *Geschichte des erbaulichen Lebens der Princessin LUDOVICA MARIA von Franckreich.* Augspurg 1793. *pag.*262. Vita est Ludovicae Mariae religioso nomine Teresiae a S. Augustino, monialis Carmelitanae, Ludovici XV. regis Galliae filiae, quae anno 1787. ad S. Dionysium in Gallia pie in Domino decessit. Opusculum est insigne a R.P. Henrico a Visit. B. V. M. Carmelita Discalceato amico meo viro suavissimo editum Augustae Vindelicorum hoc anno 1793.

justa caussa obest, sequitur aliud praeceptum: diu noctuque orationi vacare, perfectionem evangelicam sectari, lacrimis, gemitibus, precibus, Praedicatoribus et Ecclesiae Catholicae defensoribus a Domino exercituum auxilium implorare. Hic, docente nos Sancta Matre et Institutrice nostra, instituti nostri scopus est, a quo longe aberrant, qui spiritum sanctarum missionum non sequuntur, qui culpa sua eum negligunt, aut omnibus viribus promovere non adlaborant. Exemplum ejus prima ipsa dedit Sancta Mater, de ea enim canimus

Regis superni Nuntia
Domum paternam deseris
Terris Teresa barbaris
Christum datura, aut sanguinem.

Pupa innocens et tenera, ab ipsis primis unguiculis ardore fidei correpta, et amoris aestu percita in Africam trajicere tentat, ut tenue corpusculum pro fide et ecclesia immolet. Hac Seraphica Virgine adhuc in vivis agente, Venerabilis vir P. *Hieronymus a Matre Dei* cognomento *Gratianus*, primus fratrum Discalceatorum familiae alumnus, Visitator Apostolicus, Sanctae Institutricis Superior, comes, adjutor, ejus consiliorum fidus interpres, ac tandem discipulus, ut sanctarum missionum opus ex mente

Sanctae Matris restaurati Ordinis Nostri scopum, et basim esse ostenderet, et promoverer, anno 1582. dilectam sibi matrem Teresiam Burgis relinquens Ulyssiponem profectus est, ut inde primos Ordinis socios ad conversionem infidelium in Guineam expediret; simul et Sanctae Matris intentioni, et regis Catholici Philippi II. Austriaci pientissimo desiderio satisfacturus. Hoc igitur primo Discalceatae Carmelitarum familiae per Hispaniam Provinciali Moderatore, primi in Guineam expediti fuere P. Antonius a S. Maria, P. Franciscus a Cruce, P. Joannes ab Angelis, P. Franciscus ab Ascensione, et P. Didacus a S. Brunone. Hi Congregationis Hispanicae in ipsis suis incunabulis exsistentis primi Apostolici Praecones anno 1582. die 20. Martii vivente adhuc S.M. Teresia Ulyssipone solventes, dum in Guineam trajicere tentant, post aliquod navigationis dies naufragi perierunt (1). Nec operis asperitas, neque insignium horum quinque virorum recens jactura Congregationem Hispanicam tanto terrore perculit, ut a coepto Missionum opere desisteret. Nescit timere vera caritas, et ubi pura divinam gloriam quaerendi animo inhaesit intentio et propositum, menti firmae et sibi bene consciae vilescunt difficultates, pericula

(1) Chron. Carmelit. Discalc. Hisp. *tom.1. lib. 5. cap.2. n.5. et 7.*

evanescunt, et sive agitati Oceani furor, sive intemperies aeris, sive agrestis barbarorum cultus lubenter amore Christi suscipitur, ac arduus licet sit, labor iterque dulcescit. Quare anno sequenti 1583. idem Venerabilis P. Hieronymus a Matre Dei Provinciae Moderator capitulum intermedium coegit in conventu Almodovarensi, in eoque nedum secundam Missionem in regna *Congo* et *Angola* paravit, sed etiam Missiones ad omnes gentes decreto ipsius capituli in Discalceata Carmelitarum familia constituit et firmavit: quod sanctum opus, a S. Hieronymo *divinissimum* nuncupatum, firmatum fuit auctoritate S. P. N. Joannis a Cruce, qui huic capitulo ut Prior conventus Granatensis interfuit. Ad hanc igitur secundam Missionem expediti fuere P. Petrus ab Apostolis, P. Sebastianus a S. Andrea, P. Bartolomaeus a S.Michaele, P. Ludovicus a S. Paulo, et unus laicus conversus. Hi postquam mari se commiserant, a piratis spoliati ad insulam S. Jacobi Ulyssiponem redire coacti sunt, ad quam appulerunt mense Junio anno 1583. Idem chron. *tom.2. lib.6. cap.18. n.10. et cap.27. n.1. et* 5. Neque hoc malo perterritus destitit a pio molimine Venerabilis vir P. Hieronymus a Matre Dei, sed ut erat ingenii excelsi, indolis impavidae, et animi semper infracti, tertiam molitus est expeditionem, eamque opere comple-

vit: nam anno sequenti 1584. ad idem regnum *Congo* et *Angola* misit P. Didacum a SS. Sacramento, P. Didacum ab Incarnatione, ac Venerabilem Fr. Franciscum a Jesu cognomine indignum, qui olim dilectus illius eximii spiritualis Magistri P. Joannis de Avila discipulus, tandem Ordinis Carmelitici laicus, ac deinde ex obedientia sacerdos, nedum praeclara flagrantissimi sui zeli inter infideles edidit facinora et portenta, sed etiam inter Catholicos insignis virtutis exemplar, Ordinis decus, et Orthodoxae fidei ornamentum fuit. Vide cit. lib. *tom.* 2. *cap.* 2. *et* 15. tum *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 28. *et* 29. Hi igitur Apostolici viri itineri se se accinxerunt anno 1584. die 10. Aprilis, atque ex portu Ulissiponensi solventes felici navigatione regnum Congo tenuerunt. Postquam appulerant, plurimam messem, operarios autem paucos videntes, die 14. Decembris ejusdem anni ex regia civitate S. Salvatoris regni Congo epistolam ad Ordinis sui Superiores perscripserunt exorantes: ut idoneos laboris socios ad opus ministerii in regnum Congo submittant. Ita haec Missio ab Ordine Carmelitarum Discalceatorum in sua adhuc infantia constituto incoepta, aucta, conservata, Ecclesiae aliquos Episcopos, et uberes fructus dedit. Ceterum e vivis sublato Venerabili P. Hieronymo a Matre Dei, ejusdem successor P. Nicolaus a Jesu

Maria cognomine *Doria* Missionum hostis eas ab Hispaniae Carmelitarum Discalceatorum familia penitus eliminavit, quamquam eaedem Missiones deinde iterum fuerint restitutae a Carmelitis Lusitanis. Vide lib. cit. *tom.2. lib.6. cap.23. n.* 3. Haec fere sunt, quae in fastis Hispanicae Congregationis leguntur, eaque omnino sufficiunt ad hoc argumentum evincendum, videlicet: sacras Missiones instituti nostri praecipuum scopum et basim esse, quam falsi apostoli frustra oppugnant, ac evertere nituntur. Heroica et praestantissima molimina familiae Hispanicae imitata est congregatio FF. Discalceatorum Italica (1), praesertim postquam Venerabilis vir Thomas a Jesu aureo suo libro, *De procuranda omnium gentium salute*, fratrum animos incenderat (2). An-

(1) Ad hoc sancti ministerii opus suadente Ven. P. *Thoma a Jesu* erectum pro Carmelitis Discalceatis in urbe Missionis collegium, quod deinde extra portam Aureliam ad *S. Pancratium* translatum fuit; et hoc ipsum Clemens XI. in Cong. Cardinalium de Prop. Fide anno 1707. die 3. Octobr. edito decreto reliquis Religiosis Ordinibus ut normam proponit: *Quamprimum suo quique in ordine conventum aliquem, veluti pro seminario Missionariorum, ad instar seminariorum, seu collegiorum in S. Pancratii prope et extra muros urbis, et S. Petri in Monte Aureo Ord. Fratrum Minorum S. Francisci .... in quo diu ac diligenter vocatio, et spiritus eorum qni Missionibus destinantnr, probetur, illisque etiam ibidem de omnibus, quae ad hoc Apostolicum ministerium cum laude et fructu exercendum utilia et necessaria sunt, plene instruantur.*

(2) *De procuranda omnium Gentium salute*, auctore P. Thoma a Jesu Carmelita Discalceato Belga. *Antuerpiae* 1613. In S. Congreg. de

no 1604. die 30. Julii Clemens VIII. pontificatus sui anno XIII. Apostolicis litteris munitos ad regem Persidis miserat P. Paulum a Jesu Maria Genuensem, P. Joannem Thaddaeum a S. Eliseo Calaguritanum, P. Vincentium a S. Francisco Valentia Hispaniae oriundum, et Fr. Joannem ab Assumptione Eugubinum laicum conversum. Occasionem eos mittendi praebuit quidam nobilis Anglus nomine Robertus Sherley, qui dum apud Shahaba (Sciaaba) Persidis regem militat, in adversis regni rebus ei auctor fuit, ut contra regni hostes cum Europae Principibus amicitiae foedus iniret, quo facilius inimicorum insidias superaret (1). Hinc natae plures ejus legationes, commercium litterarum, communicatio cum ipsis Romanis Pontificibus, quae satis longo temporum spatio perduravit (2).

Solet ineffabilis Dei providentia in humanis rebus ad futura sua consilia et operationes in sui honorem perficiendas aditum aperire, et ita regum

Prop. Fide habita die 26. Martii anno 1624. Eminentissimi PP. decreto sanxerant, ut impensis ipsius S. Congr. octuaginta hujus operis exemplaria coemerentur, atque verbi Dei Praeconibus gratis distribuerentur. Vide *acta S. Congr. ab anno* 1622. *ad an.* 1625. *pag.* 96. Notamen est hoc Emi Card. Stephani Borgia olim huic S. Congreg. a Secretis.

(1) Historia Generalis FF. Discalceatorum Congreg. Italicae *t.* 2. *pag.* 35. Item, Urbanus Cerri S. Congreg. a secretis in libello Innocentio XI. de catholicae religionis statu oblato, *pag.* 157.

(2) Inscriptio sepulcralis quae in

corda regnorumque status dirigere, ut orthodoxae religionis exercitium etiam in eas regiones suavi modo inferatur, in quas eam inferre humano consilio vix possibile videbatur. Summa eam in Perside propagandi obstabat difficultas, gentis Persicae mollities, regni vicissitudines bellicae, aulae Persicae fastus et superbia eidem obesse videbatur: et tamen his legationibus Sherleyi omnes asperitates sublatae fuerunt, atque Praeconibus Apostolicis in ipsam regis aulam aditus fuit apertus. Itinere per Moscoviam arrepto Carmelitae Discalceati secundo flumine *Volgae* in *Saracinam* devecti sunt. Inde in urbem *Astracan*, quae jam a remotissimo antiquita-

ecclesia S. Mariae de Scala urbis visitur, Roberti Sherley legationes ita describit.

D. O. M.
ROBERTO . SHERLEYO . ANGLO . NOBILISSIMO . COMITI CAESAREO . EQVITI . AVRATO . RODVLPHI . II . IMPE . LEGATO . AD . SCIAABAM . REGEM . PERS . ET . EIVSDEM . REGIS . SECVNDO . AD . ROMANOS . PONTIF . IMPERATORES . REGES . HISPANIAE . ANGLIAE . POLONIAE . MOSCOVIAE MOGORI . ALIOSQVE . EVROPAE . PRINCIPES . INCLITO . ORATORI . TERESIA . SAMPSONIA . AMAZONITES . SAMPHVFFI CIRCASSIAE . PRINCIPIS . FILIA . VIRO . AMANTISSIMO . ET SIBI . POSVIT . ILLIVS . OSSIBVS . SVISQVE . LARIBVS . IN . VRBEM . E . PERSIDE . PIETATIS . ERGO . TRANSLATIS . ANNOS NATA . LXXIX M DC LXVIII.

Utriusque imago Roberti nempe et ejus conjugis Teresiae ad S. M. de Scala hodiedum asservatur. Confer *hist. gen. FF. Disc.* tom. 2. pag. 35., et *Urban. Cerri* loco supra cit.

tis tempore cum Indis et Persis commercia exercebat, pervenerunt. Hinc iterum per mare *Caspium* in Persidem trajiciendo *Zamaschiam*, *Ardevillam*, *Casmin*, *Cassaim* Persidis urbes transeuntes, innumeris laboribus exantlatis regni metropolim *Aspahan* ingressi, Summi Pontificis litteras regi extradidere, atque regio ab eo obtento diplomate primas Persicae Missionis aedes die 2. Februarii anno 1608. condiderunt (1). Illustris et perpetua memoria est digna haec fundatio, ab hac enim anno 1612. operam navante P.Vincentio a S.Francisco, et P. Leandro ab Annunciatione descendit domus Missionis in urbe *Ormus*, cui jam anno 1609. Ormusii Praefecto viro nobili Lusitano D. Anriquez de Norhona assentiente fundamenta jecerant. R.P. Joannes Thaddaeus a S. Eliseo, qui aedes Aspahani construxerat, anno 1624. in urbe *Sciras* antiqua Persepoli alias condiderat. *Bassorae*, quae caput est Sabaeorum ac deserti Arabiae, ecclesiam domumque construxit P. Basilius a S. Francisco; in urbe *Tatta* ad fauces Indi fluminis sita et tunc commercio celebri, agente cumprimis Ven. P. Joanne a Jesu Maria, ac illius provinciae rege infideli annuente anno 1615. missionis hospitium exstruxit P. Petrus Franciscus; an-

(1) Hist. Generalis FF. Disc. *tom.* 2. *pag.* 35. et *tom.* 1. *pag.* 361. Gemelli Careri, *Giro del Mondo*, part. 2. *la Persia*, cap. VI. p. 65. et 114.

no eodem Goae insignem aedem B.V.M. de monte Carmelo sacram P. Leander ab Annunciatione; et in urbe *Diu* in provincia Guzzaratica sita, ad annum 1633. aliud hospitium conditum fuit PP. Carmelitis Discalceatis addictum (1). Ex his descendit Malabarica missio, prima illa *Curionis* Surianorum totiusque gentis ad catholicam fidem conversio, Christianorum S. Johannis dictorum fides a superstitionibus pro modulo expurgata, varii haereticorum errores depulsi, plurimi infidelium infantes S. baptismate eluti, plures Persae ad fidem traducti, Christiani S. Thomae in Malabaride in orthodoxae fidei exercitio conservati, innumeri gentiles in India ad catholicam religionem sectandam inducti. Hinc apertior aditus et communicatio inter

(1) Conventus *Goani* Carmelitarum Discalceatorum alumnus, et insigne ornamentum fuit *Ven.* P. *Dionysius a Nativitate*, qui anno 1638. die 27. Novemb. in *Achen* seu *Asben* pro fide Christi martyrium passus est. Ejus icon exstat ad S. M. de Scala, et ejus mortis processus in bibliotheca collegii Missionum ad S. Pancratium. Vide de fundatione horum Indicorum hospitiorum, ac de hoc venerabili viro: *Viaggi Orientali del* P. *Filippo della SS. Trinità Generale de' Carmelitani Scalzi*, Venezia 1667. Lib. II. cap. 16. *Dell' isola, e della città di Goa*, pag. 155. et lib. VIII. cap. 5. *Della missione dell' Indie*, cap. 6. *Historia del V.* P. *Dionigio della Nativita*. Martyrii socius fuit *Fr. Redemptus a Cruce* Carm. Disc., hospitii Carmelitici in urbe *Tatta* et *Diu* olim Janitor, deinde conventus *Goani* alumnus, qui pluribus ictibus cultro *Crid* dicto eidem a Muhamedanis insulae *Sumatra* datis martyr occubuit; de qua re confer *cit. auct.* lib. IX. cap. 2. *pag.* 618. *et seq.*

Principes Europaeos et Asiaticos (1); novorum latinorum Episcoporum in illis regionibus institutio (2); hinc nova linguarum lexica, et grammaticae, praesertim idiomatis Persici, Arabici, Indici in Europam invectae; hinc varia itineraria, et certiores notitiae de longinquis regnis et populis, in universale totius Europae commodum et emolumentum derivarunt (3). Silentio heic praeteribo missiones Alepi, Tripoli Syriae, Mardini, in monte Libano, in urbe Bagdad, ac in ipso S. monte Carmelo ad sanctum Evangelii opus fundatas et excitatas, quarum major pars hodiedum uberes Ecclesiae Catholicae af-

(1) Urban. Cerri *pag.* 157. Gemelli Careri, *loco cit.*

(2) Le Quien, *Oriens Christianus*, Parisiis 1740. tom. 3. p. 1390. *De ecclesia Aspahanensi*, et p. 1391. *De ecclesia Bagdadensi* seu *Babylonis*. De harum ecclesiarum episcopis Carmelitis Discalceatis, Joanne Thaddaeo a S. Eliseo, Elia a S. Alberto, Bernardo a S. Teresia, Emanuele Baillet a S. Teresia, aliisque vide *Enchyridion chronologicum Carmelit. Discal. auctore P. Eusebio ab OO.SS.* Romae 1727. typis Rochi Bernabò. Hodiernus ecclesiae *Aspahanensis* Episcopus est D. Cornelius a S. Joseph Carmelita Discalc. creatus an. 1758. die 2. Oct., qui nunc *Mediolani* in patria sua versatur.

(3) Tales sunt *Gazophylacium linguae Persarum*, auctore P. Angelo a S. Joseph Carmelita Disc. Amstelodami 1684. *in fol.* opus insigne, litteratorum virorum judicio comprobatum. *Grammatica linguae Persicae*, auctore P. Ignatio a Jesu Carmelita Disc. Romae typis S. Congreg. de Prop. Fide anno 1561., et ejusdem auctoris *Grammatica Arabica*, opus ineditum, quod exstat in bibliotheca S. Mariae de Scala urbis, item ejusdem *Relatio de erroribus Christianorum S. Joannis*, edita Romae typis S. Congr. Adde his itineraria R. P. Philippi a SS. Trinitate, P. Vincentii a S. Catharina, P. Leandri a S. Caecilia, aliaque quorum supra meminimus.

fert fructus. Pellantur ergo et dissipentur sacris Missionibus obstrepentium dicteria, malignae fauces occludantur, nec paucitas religiosorum, nec asperitas nostri saeculi, nec vicissitudo conventuum, nec privata quorumdam Missionariorum a fide aut honestatis decore desertio, nec infractae observantiae vana commenta et ratiunculae producantur: hae enim in stateram appositae cum instituti scopo, cum tot virtutis exemplis, cum tanto fidei emolumento, et cum ordinis decore; quae omnia ex sacris Missionibus promanant, nequaquam comparari possunt. Neque mirandum est: si inter tot Missionarios aliquis a virtutis tramite deflectat, quandoquidem et in collegio Apostolorum inventus fuit unus Judas, et in numero eorum, qui nimio zelo quietem, legum observantiam, contemplationis perfectionem et vitam continuae orationi deditam laudant et extollunt, plures facile a quovis vento acriori abripiuntur, et ex agnis in lupos transeunt. Haec pauca digerere placuit, ut religiosorum animis, qui vocante Numine sacras Missiones petere constituerunt, animos obfirmarem, timorem expellerem, vacillantes adjuvarem, volentibus stimulos adderem, ac interius solicitanti divinae gratiae externum iter planius et facilius redderem.

CATALOGUS
REGUM AUSTRALIS INDIAE

MALABAR

Saeculo IX. Imperator totius Malabariae *Cèrampe-rumál* regnum suum divisit filiis, nepotibus, amicis. Primi ordinis reges sunt: rex *Coccinensis*, cujus verum nomen est, *Perimparapil valia rágiáva*, Perimparapil magnus rex. Hujus potestati et factioni multi suberant reguli et principes, quorum foedus et coalitio vocabatur *Pannircúrra*. Regum *Perimparapil* familia hodiedum existit, eaque semper suos reges habuit. Hodie regnat *Virólam Tamburan*, Princeps mihi notus et amicus, quocum saepenumero locutus sum. Regia sedes est nunc *Terpunatrá*, *Ciovare*, aut *Mattincéra*.

Secundus primi ordinis rex est *Sámuri*, *Tamulpáda*, vel *Nédiyiripa rágiáva*. Huic subjecta fuere omnia oppida, provinciae, et principes a monte *D'Illy* usque *Cranganor*, ac proinde eidem parebat *Calicut* seu *Colicotta* regni caput et sedes. Haec familia semper suos habuit reges, qui serie non interrupta regnabant. Hodie adhuc superstes est *Krshna Tamburan*, ejus regni vastati et con-

tinuis bellis convulsi verus haeres . Vide de his regibus et provinciis R. P. *Joannis Ernesti Hanxleden* indiculum universalem ejus Dictionario *Malabarico* praefixum , Illustrissimi D. *Angeli Francisci a S. Teresia* Episcopi Methelopolitani catalogum *ms.* ecclesiarum Malabariae, Anquetil du Perron *Zend-Avesta* tom. I. *pag.* CLXXXIII. Barros , *dec.* I. *lib.* 9. *cap.* I. Renaudot. *lib. cit.* pag. 308. 309.

Tertii ordinis Malabariae reges sunt : *Vettatta rágia* , rex Tannor , *Vallurcolpáda* olim Amocorum rex , *Codungalùr rágia* rex Cranganor , *Parapanátile rágia* rex Parpurangári , *Ayru ragia* rex Ayrur , *Kolatiri rágia* rex Colastri , seu Colatiri . *Elunkuna sórùbam* rex Edapuli seu Rapolim , *Céray sorubam* rex Cayamculam , *Tekencùrra* rex Tekencùrra seu australis partis ad montes sitae , *Vadakencúrra sorùbam* rex Borealis partis ad montes , *Aalangátta rágia* rex Alangatta seu Mangatti , *Kisbakencúrra* rex Angamali , *Parúr rágia* rex Parur , *Punatacúrra* rex Punetùr , *Pandala rágia* rex Pandalam , Principes *Corretti* , *Pagletti* , *Codacéri* , et rex *Ciangacéri* , qui erat rex urbis *Collam* . Horum omnium potestas et regnum duravit a saeculo IX. usque ad annum 1761. , quo *Viramárttánda* rex Tranvacor cum suo duce *Mártándapulla* ; et deinde ejus successor *Ráma Varmer* cum D. *Eustachio*

de Lanoy duce suo, omnes hos regulos expulit; et totam Malabariam usque ad arcem *Cranganor* occupavit. Exinde aliquae ditiones subjectae remansere regi *Perimparapil*, ac regi *Sámuri*, qui ab *Hayder Aly Chan* pulsus ad montes confugit an. 1773. In exarandis his nominibus *Malabaricis*, heic et alibi allatis, indolem pronuntiationis linguae Latinae et Italicae secuti sumus: quod animadvertendum duximus, ne falsa et aliena etymologia eis affingi possit (1).

Rex *Sámuri* Borealis factionis caput, cum rege *Perimparapil* continua bella gessit, et sub illius signis militaribus omnes *Muhamedani Calicuttenses* militabant. E contra sub rege *Perimparapil* Christiani *S. Thomae* omnes gentilibus permixti belli ducem sequebantur regem *Perimparapil* secundogenitum, cujus erat officium exercitum in hostem ducere. Huic saepe opem ferre debuerant Lusitani aut Batavi, qui urbe *Coccinensi* in ejus ditione sita potiebantur. Ditio hujus regis olim extendebatur ab urbe *Cranganor* usque in oppidum *Aalapugè*, vel *Alapushe*, duodecim leucis ad Austrum ab urbe *Coccin* dissitum. Utriusque regis ditio oppidis et populo erat refertissima, atque uterque

(1) Omnes hi reges Malabariae religione ethnici erant, neque ad hanc usque diem Malabaria aliquis Muhamedanus princeps potitus est.

eorum centum millia virorum facile in proelium ducebat (1).

PRAEFECTI COCCINENSES

Anno

1663 Pieter de Bitter en C. Valkenburg.

1663 Ludolff Colster

1666 Ysbrand Goske

1668 Lucas Van der Dussen

1669 Hendrik Adrian van Rheede

1677 Jacob Lobs

1678 Martin Huysman

1684 Gelmer Vosburg

1687 Isaak Van Dielen

1694 Adrian Van Immen

1697 Magnus Wighelman

1701 Abraham Vink

1704 Willem Moerman

1708 Adam van der Duyn

1709 Barend Ketel

1716 Johannes Hertenberg

1723 Jacob de Jong

1731 Adriaan Maten

(1) Confer. de Indiae regibus *Systema Brahmanicum*, *liturgicum*, *mythologicum*, *civile*, pag. 222.

et seq. *De gubernio et militia Indica*, ubi ea quae regum sunt, luculentius discussimus.

1734 Julius Valentyn Hein v. Gollenesse
1742 Reinicus Siersma
1747 Coryn Stevens
1752 Fredrik Cunes
1757 Gaspar de Jong
1761 Godefridus Weirman
1767 N. Senf
1773 Adrianus Moens
1782 Johannes Gerard Van Angelbeck vivit.

Occupata anno 1663., ut supra diximus a Batavis urbe *Coccin*, pulsisque per *Petrum de Bitter*, et *Carolum Valkenburg* Batavae classis Praefectos ex litore Malabarico Lusitanis, iniquum, et vix possibile esse videbatur Batavis, multa Christianorum indigenarum Malabarensium millia ex *Coccinensi* ditione profligare; neque spes aliqua affulgebat: eos, qui in Catholica fide jam dudum instituti fuerant, ad Calvinistica sacra reduci posse. Quidquid ex his duobus consiliis sequerentur, a recta prudentiae semita, atque a circumspecta gubernandi peritia alienum erat, nam sive Christianos expellerent, sive ad Calvinianam sectam amplectendam compellerent; Christianis profugis, urbs, et Coccinensis ditio habitatoribus vidua, atque inutilis remanebat. Quare promissis eos demulcent, atque Ecclesiam Catholicam *S. Francisco*

sacram in ipsa urbe sitam eis primo extradunt, deinde pedetentim eos in insulam *Vaypin* cis flumen relegant, ubi hodiedum Coccinensis paroecia exstat. Illustrissimus D. *Josephus a S. Maria* Carmelita Disc. Episcopus Hierapolitanus, tunc Malabariae Vicarius Apost. ex Malabaride excedere cogitur. Exinde *Adrianus Van Rheede* favet R. P. *Matthaeo a S. Joseph* Carmelitae Discalceato tunc Malabaridis Missionario, qui aedem construit in *Cettiati*. *Isac Van Dielen* favores et patrocinium auget, *Gelmer Vosburg* et *Hertenberg* Christianis et Patribus saepe obluctantur. Simultatibus et dissidiis tandem aliquando finis impositus, dum anno 1698. opus conducente Imperatore *Leopoldo* Illustrissimus D. Petrus Paulus a S. Francisco Archiepiscopus Ancyranus, Innocentii XII. PP. nepos, atque Caesaris ad reges Persidis, Mogolis et Indiae Orator, solemne ab Administratoribus societatis Batavo-Indicae Amstaelodami obtinuit decretum, quod heic ex lingua Batava de verbo ad verbum translatum accludo.

„ Anno 1698. die 1. Aprilis resolutio xvii. „ (Directorum) in senatu Amstaelodamensi. Viso „ quod Societas Batava Indiae Orientalis in lito- „ re Malabaridis possideat varia territoria, urbes „ et praesidia; et quia in his ab ipsis primis tem-

„ poribus, quibus ea possidere coepit, jam repe-
„ riebantur aliqui Carmelitae Discalceati cum uno
„ Episcopo; et quia jam tunc Societas ipsis in-
„ dulsit ac concessit hanc (ibi manendi), et alias
„ immunitates et libertates: ideo praesenti decre-
„ to jubet et praecipit Praefecto et Senatui Coc-
„ cinensi, ut det, et frui faciat, ac concedat Car-
„ melitis Discalceatis, atque uni ex iis Episcopo
„ eadem privilegia, immunitates et libertates si-
„ cut antea, et prout prius iis gaudebat D. Ale-
„ xander de Campo (Episcopus Megarensis) et
„ D. Josephus (Sebastiani Episcopus Hierapolita-
„ nus et Vicarius Apostolicus): dummodo prae-
„ dicti Patres non figant, neque assumant, aut
„ conservent suas sedes et habitationes in prae-
„ dictis urbibus et praesidiis, et sub ea conditio-
„ ne, ut illi Religiosi sint Belgae, Germani, aut
„ Itali; atque etiam ut eorum conversatio, et ci-
„ viles mores accepti sint Societati; et ut tenean-
„ tur obsequi legibus civilibus et municipalibus
„ ipsius Societatis, prout alii coloni et incolae eas
„ observant. Ita decretum in Senatu XVII. (Di-
„ rectorum) generalis Societatis Batavae Indiae
„ Orientalis Amstaelodami 1. Aprilis anno 1698.„
Infrascriptum est, *me sciente et consentiente P. Van Dam*, et in margine, sigillum Societatis Batavae in

cera rubra. Hoc decretum DD. Administratores, ad quos a Senatu Reipublicae fuerat remissum, die 8. ejusdem mensis et anni confirmarunt, adduntque: in Malabaria versari posse *duodecim Missionarios Carmelitas cum uno suo Episcopo*; impediri autem debere omnibus aliis Europaeis Missionariis cujuscumque nationis et instituti in litore Malabarico ingressum, sedes, domicilia, et habitationes. Adhortantur D. Petrum Paulum, ut a sua Caesarea Majestate obtineat facultatem Protestantibus Calvinistis in regno *Ungariae* sedes figendi, atque cultum suum religiosum exercendi, quod Imperatores benigne indulserunt. Autographa haec decretorum Coccini fuere solemniter promulgata, eorumque exemplaria authentica Coccini, et in scriniis Verapolitanis hodiedum asservantur. Ita ab anno Christi 1657. Carmelitae Discalceati etiam assentientibus temporalibus dominis Christianorum, S. Thomae et neophytorum omnium in Malabaria proprie dicta legitimi sunt pastores. Episcopi Carmelitae Vicarii Apostolici, dum *Coccinum* prima vice ad salutandum Praefectum accedunt, a Batavis solemni pompa recipiuntur, id est, curribus Praefecti vehuntur, militaribus copiis excubantibus et vexillis ac sclopetis aciem et accessum formantibus, bellicisque tormentis in accessu et recessu ex arce sonantibus. Hi

Episcopi subinde quinque millia Christianorum scutis et ensibus instructorum honoris gratia secum conducunt. Hunc honorem tribuit *Abraham Vink* D. Angelo Francisco a S. Theresia Episcopo Methelopolitano; negavit *Hertenberg* Episcopo Limirensi D. Joanni Baptistae; tribuit D. Florentio a Jesu Episcopo Areopolitano *D. Senf*, et *Adrianus Moens*, et D. Carolo a S. Conrado ac D. Aloysio Mariae Episcopo Usulensi anno 1787. Illustrissimus D. *Joannes Gerardus van Angelbeck* Germanus Vestphallensis; cui Missio Verapolitana magna laudis encomia, et gratitudinis monumenta debet, quod eam in multis rerum et temporis asperitatibus et calamitatibus suo singulari favore et patrocinio semper prosecutus fuerit. Exstant Clementis XIV. litterae ad *Adrianum Moens* scriptae, quibus eidem Christianitatem Coccinensem commendat. Adest ejusdem Pontificis Breve Apost. ad regem Travancoridis *Ráma Varmer* anno 1774. die 2. Julii expeditum, quod ego cum meo socio R. P. Clemente a Jesu anno 1780. mense Junio in arce *Tiruvandaburam* regi extradidi, quae res eum maxima laetitia affecit. Breve ipsum in signum honoris XI. tormentorum bellicorum explosione in consessu Principum et regni Administrorum exceptum fuit, atque ea occasione rex agros et pal-

meta Missionis Verapolitanae a censu et taxa regia immunia reddidit. En illius litteras Malabaricas ad D. Carolum Episcopum Calamensem scriptas.

Epistola Episcopo Verapolitano videnda.

Intelleximus omnia ex epistola ad Nos missa. Litterae Sancti Papae, quas ad Nos direxit, et Patres attulerunt, maximo Nobis gaudio fuerunt: eas Nos summo et digno honore excepimus et legimus. Intelleximus quoque omnia negotia a Patribus exposita. Scripsimus ad nostros Administros de iisdem rebus, et ipsi Patres plura annunciabunt. Ita ad suae Majestatis mandatum scripsi ego supremus scriba Mártánden Mádeven

Shri Patmanábhen

(rex m. pp.)

Idem rex anno 1788. Pontifici ad supradictum Breve respondet, atque Christianos Malabaridis sibi curae futuros esse spondet. Has litteras ego ad summum Pontificem Pium VI. anno 1790. attuli, atque hic idem ad regem expedivit gratiarum actionis Breve anno 1790. die 24. Febr., cujus initium est: *Exoptatissimae Nobis erant litterae Majestatis Tuae, quae nuperrime redditae sunt etc.* datum Romae ad S. Petrum sub annulo Piscatoris die 24. Febr. anno 1790. Pontif. anno XVI. Si-

miles litteras perscripsit Gregorius XIII. ad regem Coccinensem. Vide *Oriente conquistado a J. C.* tom. 2. conq. 1.

Praefecto Coccinensi subest urbs *Coccin*, oppidum *Vaypin*, *Palliport*, *Aycótta*, et olim arx *Cránganor*, quae in ultimo bello anno 1792. a Nabab *Tipu Sultan* capta et destructa fuit. Subjacet etiam eidem Praefecto Batavo insula *Bendurti*, oppidi *Mattincera* major pars, *Saude*, *S. Luis*, aliaque oppida et vici. Urbs *Coccinensis* vallo et moenibus cincta alit milites tempore pacis quatuor mille, et belli tumultibus insurgentibus copias auget usque ad 15. millia.

TRAVANCOR

Reges Travancoridis *Benátti Sorúbam*, et *Tripápu Sorúbam* dicti, ex nobili Principum familia descendunt, quae antiquitus in oppido *Rágiacallamangalam* ad promontorium *Comorinum* sito, insigni domo, cujus rudera hodiedum visuntur, gaudebat. Eorum ditio angustis limitibus definiebatur, nam initium ejus Boreale erat oppidum et flumen *Caniáratta*, atque inde versus Meridiem et Ortum excurrendo, desinebat in arce *Továla*, quae ad orientale promontorii *Comorini* latus sita est, et adi-

tum praebet in regnum *Madure* (1). Hoc ipsum regnum a plurimis familiis nobilium, quos *Pullenmar* vocant, continuis tumultibus agitabatur, qui jugo Principis excusso ipsi dominari volebant. Horum audaciae ut froenum imponeret rex *Rámarágia*, a rege *Madure* circa annum 1684. militares copias postulat, atque iis in nobiles immissis, eos subjicit, et superbos debellat. Ejus successor rex *Viramártánda* iterum recalcitrantes agris, palmetis, aedibusque privat, et plurimos eorum ad spectaculum in arcem *Tiruvanandaburam* invitatos, ac fraude circumventos occidit. Armis belloque exercitatus, sterile et rupibus refertum suum regnum extendendi consilium init; regem *Ciangaceri* seu *Collamensem* armis aggreditur, atque decem annorum pertinaci bello sine intermissione gesto, eum superat, vincit, et regno privat. Anno 1761. alii reguli, jam dudum inter se dissidentes, omnes pulsi; atque ab eo tempore tota fere Malabaria regi *Ráma Varmer*, qui hodie imperat et vivit, servit. Bella horum regum, originemque familiae descripsit *P. Franciscus Cruz Fernandes* indigena Malabarensis in *cod. ms.*, cujus exemplar apud me exstat.

Puerilia sunt, quae de hoc rege *Travancor* narrat Anquetil du Perron, et Niebuhr, *Reisebe-*

(1) Vide infra mappam geographicam Malabariae sub gradu *lat.* 8.

schreibung tom. 2. pag. 18., ubi contendit: hunc regem ideo per auream vaccam transivisse, ut ex ignobili, qualis erat, nobilis redderetur. Has vulgares ineptias jam nos explosimus in systemate Brahmanico liturgico, mythologico, civili *pag.39.*, ubi de hac aurea vacca locuti sumus.

Rex *Ráma Varmer* gentilis Princeps magnam propensionem in religionem Christianam anno 1775. et 1776. demonstrabat, et cum *compendium doctrinae Christianae*, Romae typis S. Cong. de Prop. Fide anno 1772. vulgari Malàbarico sermone a R. P. Clemente a Jesu meo olim Missionis sodali editum, legisset: Christianis Sacris imbui peroptabat. Verum ea tempestate Missionariis ab Episcopo dissentientibus, neque facili ad regem accessu patente, haec caussa neglecta fuit; et dum ego anno 1780. prima vice ad regem accesseram, binis vicibus rex per D. *Emmanuelem Rodrigues* Societatis Anglicae Interpretem hanc suam voluntatem mihi significavit, meque, ut suum propositum *Brahmanes* celaret, magistrum suum linguae Anglicanae instituere voluit. Saepe etiam suos nobiles amanuenses *Patmanábhenpulla* et *Payampalli Curipu* ad me missitabat, et per eos me in ipsam suam aulam inducere tentabat. Sed regis propositum mature detexerant *Brahmanes*, atque multis in

Christianam religionem calumniis injectis, regi auctores fuere, ut *compendium doctrinae Christianae* abjiceret, ac ferventius lustrationibus gentilicis atque cultui deorum operam daret. Dolebat etiam his viris, et primo regni administro *Cumáren cembaga rámapulla* viro acutissimo, quod ego cum rege non vulgari Malabarico sermone, sed Anglico, conversarer, cujus cum ipsi imperiti essent, variis suspicionibus torquebantur, atque mea negotia ita celeriter expediebant, ut in aula diutius commorandi tempus et occasio tolleretur. Ex his diverticulis hoc enatum est, ut aliis me negotiis, et aliis regem ultro citroque avocantibus nulla umquam certa conclusio operis secuta fuerit. Composui deinde ego carmen sermone Malabarico *De vi. attributis divinis*, cujus exemplaria plura manuscripta in vulgus emisi. His idololatriam cultumque *Brahmanicum* in sua radice aggressus sum, qua funditus eversa, major in *Brahmanes* animadvertendi spes affulgebat. Sed haec paucis prodesse poterant: ubi enim nullus typographiae usus, et paucissimi Missionarii inter tot *Brahmanes*, quis labor, progressus, et fructus constans ac luculentus sperari potest? Angli Calcuttenses *tom.* I. *pag.* 274. *et* 275. in libro *Asiatick Researches*, existimant: numquam Indos sive Gentiles sive Muhamedanos

ad Christi religionem convertendos fore, nisi aliqua *Isaiae* et *Evangelii* capita in linguis Indicis edita in vulgus emittantur, quibus perspicue comprobetur: *Christum Servatorem a Prophetis praenunciatum fuisse*, *atque eum ipsum natum esse*. Hoc quidem contra Judaeos et Muhamedanos summopere valere non diffiteor. At vero contra Gentiles agendo, exemplo SS. Patrum pugnandum est. Origenes, Tertulianus, Arnobius, Lactantius mythologiam Gentilium aggressi sunt, atque vanitatem et fatuitatem idolorum demonstravere. Astrorum, solis, lunae, naturae, ignis, aquae cultus, atque horum elementorum symbola, et allegoriae, quibus Indi addicti sunt, convelli debent, atque eorum vanitas, iniquitas, et contradictio oratione ligata et linguis Indicis est demonstranda. Ad quod propositum valde conferre potest nostrum *Systema Brahmanicum liturgicum*, *mythologicum et civile*, ubi distincte cultus Brahmanici capita descripsimus. Huic addenda est perspicua et nervosa explicatio praecipuorum attributorum divinorum, qua posita, idolorum vanitas et contradictio ex se patescit et cadit. Primi generis liber est in Malabaria Jacobi Mapullae *Nishidhâparva* seu *Dushiparva*, carmen *contumeliae* dictum, quod gentilicae religionis fatuitatem et vanitatem distincte confutat.

Similis huic est in lingua *Indostana* liberculus R. P. Josephi Mariae a Carignano Capuccini Indici Missionarii, quem inscripsit : *Dialogo fra un Cristiano ed un Gentile presentato al Re di Bettia sulla fine dell' anno* 1751. Hujus codicis lingua etiam *Indostana* conscripti exemplaria in India dantur, atque Romae typis edi merentur. Secundi generis opusculum est : *Catechismus P. Roberti Nobili*, qui divina attributa distincte explicat, ac ex iis idolorum cultum prosternit. Denique doctrina Christi Evangelica, simplex, candida, nitida et sancta linguis Indicis edi debet, et multa ejus exemplaria distribui, haec enim in domos, arces, et casas penetrant, quo Missionarii penetrare nequeunt, haec leguntur, constanter retinentur, animos excitant, et miracula operantur, quae paucitas, imbecillitas, aut infirmitas Missionariorum operari nequit.

MADURA

Anno

1600 *Mútta virabha náyaguen*, id est, *senior fortis dominus*, quia inter gentiles senior frater regno potitur, aliis fratribus non regimini sed exercitui addictis.

1628 Tirumalanayaguen, regnat 30. annos.

1659 Sughalinga náyaguen.

1677 *Mangalamà*, *felix mater*, vidua regis antecedentis.

1682 Ranga múttavíra krshnanáyaguen regnat 13. menses.

1687 Mangalamà vidua ejus regnat 16. annos.

1704 Ranga Krshna mútta víra sugha linga náyaguen.

1735 Vaigundamá vidua regnat 4. annos.

1742 Maharástae, Shanda Saheb, Nizam Almalek, Anavardhichan Nabab Arcati successive thronum occupant, et mutuo se expellunt.

1750 Alumchan Nabab, Muhamed Aly-Chan, Mafuschan invasores.

1756)
1760) Mudali seu Mudeláli Princeps gubernator.

1761 Chan Saheb.

1774 Muhamed Aly Nabab *Arcati* occiso altero regnum invadit, et hunc Angli tuentur, atque criminum participes regnum *Madura* occupant.

MAISSUR

Anno

1600 *Sènadèvarágen*, id est, *exercitus divini rex*, *nomen* est a deo *Subramanya* seu deo *Kártiguéa* desumtum, qui *militiae caele-*

stis dux est. Vide Systema Brahmanicum *pag.* 190.

1628 Cirangadéven seu Schirangadeven. *Cir*, pulcher, *anga* membrum, *deven* deus vel rex, *pulchrorum membrorum rex* (1).

(1) Si P. Joanni de Britto, seu auctori libri manuscripti: *Breve noticia dos erros, que tem os Gentios de Concao* (Concam) *de India*, credimus, regum *Bisnagari*, *Maissur*, et *Concam* auctoritas et regimen absolutum, asperum, et tyrannicum erat. Pecunias pro lubitu suo a subditis extorquebant, mulctas arbitrarias imponebant, non ex scripta lege, sed pro libidine sua imperabant; omnium agrorum, et palmetorum ipsi absoluti domini erant; subditi nullo proprietatis jure gaudebant. *Todas as terras saõ da Coroa, naõ ha vassallo, que tehna nembuma quinta, nembuma herdade, nembum campo de semeadura, que possa deixar a seus filhos.* Lib. cit. cap. 6. §. 11. *do modo do governo que guardao entre sy*. Hic idem mos obtinet in Malabaria, in qua, ut in reliquis Indiae provinciis templa gentilica, academiae Brahmanicae, asceteria, et pauci principes jure proprietatis gaudent. Hoc jam saeculo 1. de Indis docuit Strabo lib. 15. *Cum regio tota sit regis, ipsi* (Indi) *eam conducti operantur in quarta fructuum parte*. Proprietatem agrorum Indis etiam abnegant *Dalrymple* Anglus, P. *Vincentius Maria a S. Catharina*, *William Methold*, P. *Dela Lane*, P. *Le Caron*, P. *De Magistris*, et alii viri plurimi, qui viginti et triginta annos inter Indos exegerant, atque regnorum consuetudines et jura perspecta et explorata habebant. Hos omnes sua temeraria procacitate, et vana dicacitate aggreditur notissimus circulator *Anquetil du Perron*, et contra communem sensum, et quotidianam experientiam Indis, hominibus etiam privatis, jus absolutum et proprietatem agrorum mordaciter adscribere conatur. Quam quidem ineptiam inter alias ipsius naenias relegamus, Vide *Recherches historiques et géographiques sur l'Inde* tom. 1. p. 223. et seq. Haec gentilium regulorum acerbitas caussa fuit: ob quam populi regni *Maissur*, *Concam* et *Carnate* eos impetentem Muhamedanum alienigenam *Hayder Aly-Chan* haud difficulter receperunt, eique servierunt.

1761. Hayder Aly-Chan Nabab invasor et gubernator (1).

1771 Idem occiso rege Maissurensi dominus absolutus Christianis favet.

1782 Nabab Tipu Said Bahader Sultan ejus filius Christianos persequitur.

Postquam hic Princeps anno 1792. ab Anglis in incitas redactus fuit, atque scelerum suorum poenas tulit, resipiscere visus est anno sequenti 1793. En quid de eo scribit P. *Raymundus a S. Joseph* Carmelita Discalceatus nunc Bombayni Missionarius in litteris ad me datis ex urbe *Bombay* die 16. Febr. anno 1793. *Il Tipu* (Sultan Bahader) *due mesi fa ha scritto al Governatore ed Arcivescovo di Goa per avere Padri, promettendo di riedificare a sue spese tutte le chiese, che ha distrutte; e questo fu, perche il Re di Corgå suo vicino ha scritto a Monsig. Vittorio* (Episcopo Vicario Apost. Bombayni), *dimandando un Missionario. Ha promesso di fabricare una chiesa a sue spese, e dar al*

(1) De hoc Principe Muhamedano Christianis addictissimo vide *Histoire d'Ayder-Aly-Khan Nabab Bahader*, à Paris 1783. in 12. *vol.* 1. *et* 2. Dum in litore Malabarico urbem *Calicut* occupavit, Christianos illaesos reliquit, et plurimos eorum fiduciae caussa, quam in iis collocaverat, secum in exercitu duxit. P. *Joachimo a Miranda* ad colles urbis *Mangalor* suum vexillum dedit, sub quo tutus, et ab omni vexatione immunis Seminarium construxerat, et rexerat.

Vicario (parocho) *sei cento rupie* (300. scuta Rom.), *un candil di cera*, *l' oglio per la lucerna* (in ecclesia), *e favorire i Cristiani*. *Il che sapendo i Cristiani di Maissur, tutti volevano passar nel Regno di Corga; dunque il Tipu per impedire questa dizerzione ha promesso di fabricare chiese* etc.

TANJAUR

Anno

1595 Krshnadéven.

1600 Sèvaga náyaguen.

1601 Aciuda náyaguen.

1619 Raghu nátha náyaguen, tradit Danis urbem Tanquenbar, regnat 40. annos. *Raghu nátha* nomen est dei *Vishnu*.

1658 Urbs Nágapatnam per Batavos Lusitanis erepta.

1659 Viseya raghu náyaguen habet 3. filios.

1674 Múttarághavatirináyaguen frater regis Maduré intrusus expellitur ab *Egogi*, qui restituit *Sinhamaladáshi* filium regis *Visaya raghu nayagueni*.

1674 Egogi de quo supra, frater *Sévagi* filius Mahäragiae Maráshdi. Persecutio in Christianos incipit (1).

(1) *Rámarágia* filius *Sèvagi* rex regni *Carnáda* anno 1680. mense Julio dedit Gallis urbem *Pondiceri*.

1682 Schagi filius *Egogi* regnat 29. annos.

1712 Sarvagui, secundus filius *Egogi* regnat 17. annos.

1729 Tucogi 3. filius regnat 4. annos.

1732 Nanna Saheb.

1735 Egogi mahárágia.

1736 Súsanbhavi ejus vidua:

1738 Savadsadirágia dat Gallis *Karical*, regnat 1. anno, deponitur a Mogolensibus.

1739 Párthava Sinha 4. filius *Tucogi*.

1763 Tullasurágia filius *Párthavasinhae*.

1773 Muhamed Aly-Chan Nabab *Arcati* intrusus per Anglos.

1776 Tullasurágia decreto supremi consilii Anglici restitutus, sed ut captivus moritur; quo mortuo subintrant Angli, qui hodiedum rerum potiuntur.

Haec omnia regum nomina incredibili modo corrupit Anquetil du Perron. Vide *Recherches historiques et géographiques tom.* 1. ad pag. 222. *Canon chronologique des Souverains de l' Inde*.



EXPLICATIO
MAPPAE GEOGRAPHICAE
LITORIS MALABARICI
ET REGNORUM ADJACENTIUM.

Animadvertendum est, hanc mappam geographicam primo a me in lingua Gallica anno 1789. confectam, et descriptam fuisse. Ex lingua Gallica conversa fuit in idioma Germanicum Augustae Vindelicorum, ubi in aes incisa fuit. Quapropter aliquae Germanicae dictiones Latinis vocabulis reddendae sunt, atque ad normam pronuntiationis vulgaris linguae Italicae heic describendae. Sequemur autem gradus latitudinis a Borea ad Meridiem descendendo, ut omnis ambiguitas, et nominum confusio a mente Lectoris absit.

XII. Sub gradu 12. latitudinis paullo supra montem *Dilly* situm est regnum *Canara*, in quo emporia et urbes *Caliana* seu *Calianapuri* et *Mangalur*, de quibus vide *Prologum* et hujus operis *pag*. 8. 14. 15. 16. Hoc regnum, ut ex Plinio et Arriano colligitur, saeculo I. regi *Cerambotti* subjectum erat. Vide *Prologum*, et *pag*. 18. In mediterraneis sub gradu 13. usque ad 11. est regnum

Concam, quod Lusitani scribunt *Concao*, et Arabes apud Renaudotium *Kenkem*. Vide *pag.*11. et *pag.*69. *in notis*. Ex hoc regno oriundi sunt *Sámuri* reges, a rege *Maduré* stirpem ducentes. Anno 1789. eorum regnorum potiebatur *Tipu Sultan Bahader*, cujus regia est *Schiringapatnam*, seu more Italico pronuntiatum, *Ciringapatnam*. Sub eodem gradu 12. *Molandis Seeraüber*, id est, *Molandi piratae*, qui ibi sedes suas habent, atque in mari navigantes vexant ac praedantur. De his Plinius, Solinus, Arrianus. Vide *Prologum* et *pag.* 16. In mediterraneis crescit *piper* et *cardamomum*, *santalum* rubrum et flavum. Sequitur urbs *Cannanúr*, *Valiapatnam* seu *Baliaptna*, et *Talacshera*, seu ad indolem linguae Italicae scribendo *Talacera*, quod Angli corrupte scribunt *Telichery*. Vide de Baliapatna *pag.* 16. *et* 17.

Calicut seu *Còlicòtta* saeculo VIII. prima Muhamedanorum alienigenarum sedes ab Imperatore *Cèramperumal* concessa, qui *Calicuti*, in *Cranganur*, ac in *Collam* habitabat. Vide *pag.* 10. 11. 12. *et* 68. *in notis*. Confer Barros *Dec.* 1. *lib.* 9. *cap.* 3. Renaudot., *Anciennes relations*, pag. 308. 309. Non adduco heic *D'Anvillii* testimonia; is enim dum nimis scrupulosus *Ptolemaeo* inhaeret, multa Indiae loca praepostere affert, ac veterem geographiam

pro lubitu suo texit. *Còlicòtta* seu *arx gallinacea* ante adventum Muhamedanorum in Malabaria exstitit, non autem urbs *Còlicotta*: Arabes enim illi duo circa initium saeculi IX. in India peregrinantes, nec urbis *Còlicotta*, nec stabilimenti Arabici in ea meminerunt, quamvis *regem magnum Kenkem*, *Baliarágia*, id est, *Cèramperumál* Arabibus tunc addictum fuisse perhibeant. Itaque privilegia Hebraeorum, Christianorum et Muhamedanorum ab hoc rege concessa, ad annum Christi 825. et sequentes rejicienda sunt. In *Pálacáticshèri* incipit Missio Christiana regni *Concam*, et inde versus ortum excurrendo numerat paroecias *Caramuttampatti*, *Dharáburam*, *Mettupáleam*, *Pudupári*, *Càlcavèri*, *Calangàni*, *Dharmapuri*. Regnum *Concam* et *Maissur* a saeculo I. usque ad VIII. regi *Pándi*, *Pandioni* seu *Madure* parebat. Saeculo VIII. aliqui hujus regis filii aut nepotes horum regnorum Principes ex *Concam* ad littus Malabaricum in urbem *Cannanur*, *Calicut* et *Cranganur* descendentes, Imperium *Malabaricum* fundarunt. Primus erat *Ceramperumál*, quem secuti sunt reges *Sàmuri*, *Pándiperumal* et *Tamulpáda* dicti. *Cerambotti*, seu Plinii et Arriani *Ceprobottes*, saeculo I. in Καρεουρα *Carura* in mediterraneis habitabat, quae urbs esse videtur *Kerula*, olim *Malabariae* et regni *Concam*

regia, a qua in libris Samscrdamicis *Malabariae* provincia hodiedum *Kerula*, *Kerulam*, et *Kerula rágiam*, id est *Kerulae regnum* vocatur. *Cerambotti* regnum a provincia *Canara* per totum regnum *Concam* extendebatur. Vide Ptolemaeum *geogr. vet. lib.* 7. *cap.* 1. *fol.* 93. edit. Argent., et Plinium *hist. nat. lib.* 6. *cap.* 22. *et* 23. Urbs tamen *Badagare*, aliaeque in provincia *Maduré* sitae, non *Cerambotto*, sed *Pandioni*, seu regi *Pándi* vel *Madure* subditae erant. *In Becare* (id est *Badagare* vel *Vadaguera* sub gradu IX.) *regnat Pandion, longe ab emporio mediterraneo distante oppido, quod vocatur Modusa* (id est, *Madura* vel *Madure*). Plinius *l. cit.* Vide *in op. pag.* 11. 156. 157.

XI. Sub gradu 11. in mediterraneis oppidum *Tricshur* seu *Triciur* Brahmanibus refertissimum, qui ibi academiam habent celeberrimam. Infra non procul a gradu 10. sita est urbs *Cranganor* seu *Cudungnalúr*, de qua confer in op. *pag.* 60. 61. 62. 69. *in notis*. In mediterraneis exstat *Angamali*, *Ambalacáta*, *Maleatur* sacrarium S. Thomae Apostoli celebre, ubi in monte crux sata fuit, quam Christiani S. Thomae Apostolo adscribunt, quae tamen probabilius *Knay Thomae* attribui debet. Ibidem *Alangatta* a Lusitanis corrupte *Mangatta* dicta, et *Verapolis* seu *Varahapule* oppidum ita dictum a *Va-*

râba, aper silvestris, et *puja* vel *pula* flumèn; quod *apri silvestres* illud freqenter transnatarent. Confer de his oppidis supra *pag.* 73. 82. 87. 88.

X. Sub gradu 10. *Cochin*, seu ad indolem linguae Italicae pronuntiando *Cocin*, quod ex dictione Malabarica *Cocil* vel *Coci* nascitur, ac fluvii nomen est, ibi in mare excurrentis. Urbs haec recens est, et fluvius iste ibidem anno 1341. aperto aggere ac littore rupto in mare profundi coepit, cum antea littus illud clausum esset. Ab hoc eventu scribitur aera *Vaypin*, quae incipit anno Christi 1341. Ante hoc tempus portus et emporium celebre fuit *Cranganor*. In mediterraneis regnat rex *Pérumparapil* seu rex Coccinensis, quod nomen familiae est, non autem genericum, aut a provincia desumtum. Is qui hodie regno nunc perexiguo praeest, vocatur *Viròlam Tamburan*. Conf. in op. *pag.* 89. 115. 116. *et seq.* In mediterranneis situm est oppidum *Odiamper* seu *Udiamper* a synodo *Menezii* ibi celebrata insigne. Vide *pag.* 71. *et* 35.

IX. Sub gradu 9. urbs et municipium *Coullon*, quae corruptio est vocabuli Malabarici *Collám*. Condita fuit anno Christi 825. a *Cèramperumál*. Vide *pag.* 13. 14. 117. Haec secunda fuit insignis sedes Christianorum et Muhamedanorum. Nunc municipium Batavis est subjectum, urbs autem ipsa et

tota provincia regi Travancorensi. Ibidem sub gr. 9. et 5. scrup. *Tiruvanandapuram*, vel contractius *Tiruvandaram*, regia *Ráma Varmer* regis Travancorensis, cujus dominium extenditur a *Cranganor* usque ad promontorim *Comorinum*, dempta urbe *Cocin*, quae Batavis, et *Anjenga* seu *Angintenga*, quae Anglis paret. Ibidem sub eodem gradu ad littus maris situm est Valiatorra seu Baliatorra oppidum, de quo confer supra *pag.* 118. *in notis*. Infra ad littus maris et fluvium, ab ortu ex montibus Ghattes dimanantem, sita est urbs *Coletschi*, seu ad indolem linguae Italicae scribendo urbs et celebre emporium *Coleci* vel *Colaci*, Gallis *Coletchi*. Ad hoc emporium pedestri itinere ex regno *Bengála*, et sinu *Gangetico*, ex littore *Coromandelico*, ex regno *Carnate* seu *Carnáda*, ex *Madura* seu *Pandi*, ex *Tanjaur*, atque insula *Ceylan* remotissimo antiquitatis tempore, et hodiedum omnes Indicae merces confluunt. De hoc emporio Strabo lib. 15. *Taprobanem Pelagiam* (Ceylan) *insulam distare dicunt ab australissimis partibus, quae sunt apud* Cojacos *meridiem versus septem dierum navigatione* (nempe littora parvis navigiis legendo). Verbum Κωνιακοὺς *Coniacos* vel *Cojacos* Salmasius legit *Coliacos*. Vide Cellarii *Notitiam orbis antiqui* lib. 3. cap. 23. *pag.* 744. Haec Arriani et Ptolemaei est

urbs *Colchi* Κόλχοι, distincta a *Colide*, *Colias*, vel *Covalam* ad orientale promontorii *Comorini* latus sita. Vide supra *pag.* 118. *in notis*, et *pag.* 156. 157. ubi de ea uberius disserui. Vide etiam Stephanum Morinum in *dissert. de cognatione Lacedaemoniorum et Hebraeorum* apud Fabricium *lib. cit. pag.* 760. Pomponium Mela *lib.* 3. *cap.* 7. Arriani Periplum *pag.* 33. In sinulo hujus emporii super utribus et in ratibus navigabant, quae lingua Malabarica *Ciangáda* vocantur: quod vocabulum Arrianus *Sangáar* linguae Indicae imperitus scripsit. Invecta his ultimis saeculis audaciori navigatione, urbs *Coleci* a primo flore decidit. In urbe *Colechi* seu *Coleci* antiquitus statio erat navium Aegyptiacarum, Persicarum, Graecarum, Romanarum; quae cum parvae essent et papyraceae, tumescente mari non semper promontorium *Comorinum* circumnavigare poterant. Itaque ex hoc *Coleci* emporio testudinem, ebur, ac uniones Ceylanses, margaritas orae Piscariae, sindones Madurenses et Tanjaurenses, zinziber, cinnamomum et piper Malabaricum, sericum Sinense, simias, pavones, ἀπαγὰς, lignum Aloe, aurum Gangeticum et Peguanum, aliaque veteris commercii capita praedictae naves *Alexandriam* in Aegyptum, ac in *Persidem* ex India evehebant. Atque ex hoc emporio per urbem *Còttate*,

h h

Tirunavèli, *Badagare* et *Tindacalla* pedestri itinere ad littus Coromandelicum, atque in urbem *Maliapur* seu *Mailapuri* accessus et via patebat, ut hodiedum patet. De litore *Coromandelico* et de India *Gangetica* confer William Hodges, *Travels in India*, opus Londini anno 1793. nitidissimis typis editum ac tabulis instructum; sed ejus mappam *Gangis* geographicam longe superat mappa *P. Tiefentaller*, quae correctior et locupletior est. Confer Plinium *hist. nat. lib. 6. cap.* 22. 23. Item *cap.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. 5. 6. *lib.* 33. Pomponium Mela *lib.* 3. *cap.* 7. S. Epiphanium *tom.* 2. *lib.* 2. adv. haereses *pag.* 618. edit. Paris. 1622. *Cum identidem negotiandi caussa in Indiam proficisceretur* (Scythianus) *magnam et copiosam mercaturam faciebat*. Vide etiam Isidorum *lib.* 14. *cap.* 3. et de variis Indicis mercibus, lignis et animalibus, quae ex India vel ab ipso *Salomonis* tempore exportabantur, lege Lipenium *de navigatione Salomonis Ophiritica*, pag. 525. et seq. Halae Sax. 1660.

VIII. Sub gradu fere 8. situm est promontorium *Comorinum*, et urbs *Covalam*; atque exinde versus ortum vergendo paullo supra urbs *Aramballi*, *Arampalli*, quae veteribus est Αργαρέπολις *Argarupolis* in tabula Peutingueriana. De his locis ac de ora Piscaria locupletem notitiam tradidimus supra

pag. 117. 118. *in notis*. Plinius *hist. nat.* lib. 6. cap. 22. *Proximum est* (insulae Taprobane) *Indiae promontorium, quod vocatur Colaicum* (id est, *Covalaicum* ab oppido *Covalam* promontorio assidente). Vide supra in opere *pag.* 60. *in notis*, et *pag.* 156. 157.

A promontorio *Comorino* versus Boream totam Indiam bifariam secando excurrunt montes *Ghattes*, quae corruptio est Indici vocabuli *Kádda*, silvae, *montes silvis* referti. Ad ortum horum montium sub gradu 9. et 10. est regnum *Madura* seu *Pándi*, cujus rex saeculo 1. erat *Porus* seu *Puru*, qui legatos ad Augustum misit. Strabo *lib.* 15. sub initio: *Inde tamen* (ex India) *ex uno loco, et ab uno rege Pandione* (rege *Pándi*) *et alio Poro*: (a *Poro* Alexandri diverso): *legati cum muneribus ad Caesarem Augustum venerunt*. Vide Dodwellum *in praef.* Ad Arriani Periplum, et supra *Prologum* ac *pag.* 17. 18. 153. 154. *et seq.* Hodie hoc regnum Nababo *Muhamed Ally*, seu Anglis subest. Limes occidentalis hujus regni sunt montes *Ghattes*: borealis regnum *Maissur*, quod incipit supra *Dharaboram*, et *Caravùr* sub gradu 10. Limes orientalis et australis mare, et regnum *Tanjaur* ac *Marava*. Rex *Madure* seu *Pándi*, Indis *Pándiperumál*, olim potiebatur urbe *Tricshnapalli* seu *Tricinapalli*, in

quam , eversa vetustissima urbe *Madura Pandionis* regia , Angli vim sui Imperii intulerunt . Omnis haec provincia Missioni *Madurensi* PP. Societatis fuit subjecta . Residentiae seu sedes praecipuae eorum et paroeciae sunt: *Tindacalla* , *Madura* , *Aur* , *Illipiur* , *Puratacudi* , *Ayambet* , *Conacupam* , *Tanjaur* , *Varugapatti* , *Sirgani* , *Suran* , *Camanaichenpatti* , *Tirunavèli* . Hae , aliaeque paroeciae PP. Societatis Italis , Lusitanis , Germanisque erant subjectae . Missio Societatis Gallica incipit sub gradu 12. in oppido *Tirupetur* in regno *Carnate* seu *Carnáda* . Atque per haec omnia regna , id est , per *Carnàda* , *Tanjaur* , *Maissur* , et *Madura* extenditur jurisdictio Vicarii Apostolici Pondicerensis . *Bengalur* sub gradu 13. situm , quod nos in hac mappa paullo supra gradum 12. collocavimus , ut spectandum exhiberemus , municipium validissimum et regia sedes erat *Nababi Ayder Alykhañ* patris Nababi *Tipu Sultan* Bahader , ab illo omnino degeneris filii , viri crudelis et immanis Brahmanum ac Christianorum persecutoris . Vide librum inscriptum : *Histoire d'Ayder Aly Khan Nabab Bahader* , à Paris 1782, et mappam inscriptam , *Theatre de la guerre dans l' Inde* , à Paris 1770. Urbs *Mailapuri* , in hac mappa locorum locupletissima et distincta , sita est sub gradu *lat.* 13.

Haec urbs, regnum *Carnàda*, quod hodie Anglis paret, et omnis ille tractus terrae usque ad *Gangem* et urbem *Pattan* saeculo 1. supremo Imperii jure subjiciebatur regi *Salìvahana*, *Salivagana*, seu contractius regi *Salvahan*. Vide *Prologum* et *pag.* 140. 141. 142. Hujus regis nomen Ptolemaeus more Graecorum corrupit in Σιριπτολεμαιος *Siriptolomaeus*, quem ad Gangem in regia βαιτανὰ *Baetana*, id est, in *Pattana*, *Pattan*, vel *Patna* urbe sub gradu fere 26. sita, circa medium saeculi 1. sedisse ait *Geogr. vet. lib.* 7. *tab.* x. *edit. Argent.* Hunc ipsum regem alii Graeci *Saripalam* vocant. Vide in libro inscripto: *Asiatick researches*, tom. 1. pag. 369. D. Wilford, *Remarks on the city of Tagara*. Confer mappam geogr. D. *W. Bolts* ad calcem tom. 1. libri inscripti: *Stato civile*, *politico*, *e commerciante del regno di Bengala*, 1780. Denique de aliis saeculi 1. Indicis regibus legesis *Asiatick researches* tom. 2. pag. 144. 145. 146. et 147. *On the Chronolegy of the Hindus*. Inter hos saeculo 1. numerari debet rex seu Princeps urbis et municipii celebris *Arcate* sub gradu lat. 13., non procul ab urbe *Mailapur* in mediterraneis. De hoc Ptolemaeus l. cit. *Arcati regia Sora*, ubi etiam *Biolingarum*, id est, *Talingarum* gentium, quae paullo supra habitant, meminit. Hujus *Arcatensis* Princi-

pis dominium immediatum in urbem *Mailapurî* tempore S. Thomae Apostoli excurrebat.

Indiae orientalis partem meridionalem littoris Coromandelici regna complectentem vide in recentissima mappa geographica in *Zend-Avesta*, tom. 1. part. 1. pag. 438., et in alio Anquetilii libro inscripto: *Recherches historiques et géographiques sur l' Inde*, à Berlin 1786. part. 1. pag. 1. *Portion d'une carte du Sud de la Presquîle de l' Inde, faite par des Brahmes; qui comprend le* Tanjaour, *le* Marava, *et une partie du* Madurei. Hanc tamen mappam nitore, correctione, et locorum multitudine longe superat mappa D. Dela Tour, *Theatre de la guerre dans l' Inde* inscripta, Parisiis 1770.

MAPPAE GEOGRAPHICAE

Vocabula Germanica.	*Eadem Latina.*
Pfeffer	Piper
Cardamom	Cardamomum aromata
Heydnische Pagode	Templum gentilicum
Téka Holz	Lignum seu arbores Teka
Dörffer	Vici et oppidula
Wilde Thiere	Animalia silvestria
Gewürze	Aromata
Tiger	Tigrides

	Elephanten	Elephantes
	Affen Wälder	Simiarum silvae
	Gattes Berge	Montes Ghattes
	Baders Hoff	Nababi Bahader regia
	Heyden	Ethnici
	Mahomedaner	Muhamedani
	Braminen	Brahmanes
	Ráma Brug	Pons Rámae
	Zeichen	Signa, indicia
1	Festung	Arx, municipium
2	Festung und Stadt	Arx et urbs
3	Markflek	Oppidum
4	Christen und Kirche	Christiani et ecclesia
5	Dorf	Vicus
6	Mahumedaner allein	Soli Muhamedani
7	Heyden allein	Soli Ethnici
8	Juden	Hebraei.

Viae per quas ex regno *Maissur* et *Madure* per montium ambages in *Malabariam* commercii caussa accessus patet, punctis sunt distinctae.



APPENDIX

De Chaldaico-Persica, et Malabarensi Indica dioecesi.

Ut doctrinam de Chaldaeis Episcopis Catholicis et Nestorianis quam in hoc opere sparsim tradidimus, sub uno conspectu exhibeamus, atque ex ea Indicae Malabarensis Chaldaicae Christianorum *S. Thomae* dioecesis cum illa Persica seu Chaldaica connexio et communicatio apertior et luculentior reddatur, ea quae supra de utraque prodidimus, paucis uberius sunt illustranda.

Saeculo I. Persis et Indis Evangelium praedicavit *S. Thomas* et *S. Thaddaeus* Apostoli. Vide supra in *prologo* pag. XIII. et XIV. sententiam *Tertulliani*, *Arnobii*, *S. Joannis Chrysostomi*, et pag. 21. 22. in opere auctoritatem *S. Hieronymi* et *Eusebii*. Confer S. Joannem Chrysostomum oratione, *quod Christus Deus* (1), Recognitiones Clementis IX. 29., Le Quien, *Orien. Christ.* tom. II. coll. 1251. 1252. *De provincia Persidis*, et tom. II. coll. 1078. *De Chal-*

(1) Chrysostomus, *tom. I. edit. novae pag.* 559. 566.

daeorum, *dioecesis initiis*, *incrementis*, *amplitudine* (1), Blasii Terzi *Syriam Sacram* (2), Renaudot., *Anciennes relations*, pag. 231. 263., Fabricium, *Salutaris lucis Evangelii*, cap. 37. pag. 634., et de *S. Thoma* supra in hoc opere *pag.* 228. *et seq.*

Prima Chaldaicae dioecesis Episcopalis sedes, quae primis tribus Ecclesiae saeculis Patriarchae *Antiocheno* subjacebat, est *Seleucia* seu *Selik* Arsacidarum urbs, Chaldeae, quae Persidis provincia fuit, caput, a *Seleuco Nicatore* condita super ruderibus antiquae *Babylon*. Sita est ubi *Euphrates* seu *Foràt* et *Tigris* confluunt. De hac Sozom. *lib.* II. *cap.* 9. τῶν ἐν Περσίδι βασιλευουσῶν πόλεων. Confer Renaudot., *Anciennes relations*, pag. 263. Le Quien *Orien. Christ.* tom. II. coll. 1094., *Syriam Sacram* lib. 1. cap. 39. pag. 61., et anonymum Gallum in tabulis chronologicis, historicis, et ecclesiasticis (3); *Asiatick researches* tom. 2. pag. 44. *The sixth discourse on the Persians*. Vide etiam supra *pag.* 22. 23.

Seleucensis sedis Episcopus fuit *S. Simeon*, quem Indi *Shemon*, et Nestoriani *Barsabai* appel-

(1) Parisiis ex typogr. regia anno 1740.

(2) *Syria Sacra*, Romae anno 1695. *lib.* 1. *cap.* 69. *pag.* 91. *et cap.* 72. *pag.* 93.

(3) *Tablettes chronologiques*, *historiques*, *et écclesiastiques*, *contenantes la description de quatre parties du Monde par rapport à la religion Chrêtienne*, *l'histoire des cinq Patriarcats* etc. tom. 1. à Aouste, 1705. pag. 306. *Archevechez et Evêchez des Nestoriens*.

lant, in cujus martyrii acta admonitionem affert *Ruinart* (1). Ei successit S. *Sadoth*, quem acta ex codice Persico *ms.* ab Eusebio Renaudotio prolato, *Shadoust* appellant. Hunc excepit *Manetas* et *Abi*, qui acta Persicorum Martyrum in Persica illa persecutione occisorum, diligenter conquisita asservarunt. Contigit autem haec persecutio sub *Sapore II.* Persidis rege ex sententia S. Hieronymi anno *Christi* 343., secundum alios anno 344., aut 350. De ea Sozom. *hist. Eccl. lib. II. cap.* 8. 9. 15. Numerus Martyrum secundum historiam hujus persecutionis, quam Renaudotii auctor Persa ab Episcopo *Adanae* in Armenia conscriptam fuisse asserit, ascendit ad 160. millia in *Dit Elhamar* et *Bajermi*, quae ultima urbs exinde *Martyropolis* dicta fuit. De hac persecutione et Persidis Christianis etiam disserit Eusebius *de vita Constantini* lib. IV. cap. 8. et 13. Nicephorus *lib.* VIII. *cap.* 38. Sapori II. successit frater ejus *Ardeshir*, Graecis *Artaxerxes*, Persis vero veteri Persica lingua utentibus *Ardeshiravan*, qui circa annum 380. thronum conscendit, cum ejus frater *Sapor* urbem Chaldeae *Amid* seu *Car-Amid* Diarbekirensis provinciae caput jam expugnasset. Hoc eodem tempore tot Martyrum lau-

(1) Ruinart, *Acta primorum Martyrum sincera et selecta*, Parisiis anno 1689. *pag.* 632.

reis illustris Ecclesia Seleucensis in Archiepiscopatum transivit. Confer auctores supra laudatos in locis mox citatis.

Saeculo v. pulsis jam ex Imperio Romano, et per totam Persidem dispersis Nestorianis, eorumque potentia et gratia apud Persidis reges accrescente, orthodoxae Catholicae fidei, ad ea usque tempora in India et Perside illibatae affertur strages. Confer Renaudot., *Anciennes relations*, pag. 164. 165. et seq. Le Quien *Orient. Christ.* tom. II. coll. 1078. et supra in opere *pag.* 22. 23. Haec epocha Chaldaeis schismaticis Malabarensibus digito commostranda est, et cum *Tertuliano* ex iis quaerendum: quando, et unde venistis? cujus fidem, et a quo tempore profitemini? Diffusa in Perside Nestoriana haeresi, haec eadem in Indiam penetravit, quod supra ad pag. XXIII. XXIV. et ad 24. ex *Cosma Indicopleuste*, atque ex *Timotheo* Nestoriano Patriarcha palam perspici potest. Exinde hi Nestoriani Seleucenses saeculo v. et VI. novam condidere Hierarchiam, quam ex notitia *Amri* apud Le Quien, ex tabulis chronologicis supra laudatis, atque ex Renaudotio, qui haec omnia diligentius et accuratius ex *hist. Nest. cod. Arab. ms.* discussit, heic proferendam esse duximus.

NESTORIANAE METROPOLES

I. *Jondisabur*, urbs condita ab *Ardeshirvan*, quae prius nulla Episcopali sede gaudebat.

II. *Nisibis*, seu *Nesbin* celebris a sanctitate et gestis *S. Jacobi Nisibeni*, quem de regno Persarum et Persica Christianorum persecutione scripsisse testatur Gennadius *in catalogo scriptorum*. Hanc urbem Nestoriani occuparunt pulsis inde orthodoxis a *S. Jacobo* in fide institutis.

III. *Bassora*, de qua vide Ignatium a Jesu Carm. Disc. de *Missione Bassoram Mesopotamiae suscepta*, *et de Christianis* S. Johannis Baptistae, *Romae* 1654.

IV. *Hazza*, quae vetus *Arbella*, Arabibus *Jrbil*.

V. *Beyermi* seu *Beitgarme* antiqua *Martyropolis*, de qua supra.

VI. *Holuan* urbs *Iran* seu Persidis, 5. dierum itinere *Bagdato* distans.

VII. *Fars*, id est, in Perside proprie dicta.

VIII. *Meru* Corossani urbs in alta Asia, D. De l' Isle *Marou* sub gradu lat. Sept. 38.

IX. *Araet*, seu vetus *Aria* Renaudotio, quae hodie minor *Bucaria* et regnum *Cashgar* seu parva *Tibet*. Confer *Mosis Chorenensis Armeni* saeculi IV. scriptoris *geogr.* pag. 365., qui *Ariam* veterum *Chusti-Chorasaniam* Mediae, Persidi, et Indiae fi-

nitimam esse arbitratur. Londini 1736. Verius tamen *Aria* est regnum *Cashgar*, in quo jam saeculo II. plurimi Christiani versabantur. Vide S. Epiphanii tom. II. lib. 2. *adv. haereses* pag. 622. edit. Paris. 1622. *Cum jam ad Mesopotamiae Persidisque confinia* (quae sunt *Cashgar* et *India*) *ad solitudinem* (Cashgarensem), *quae illic est*, *pervenisset* (Manes) etc. Vide supra *pag.* 4. *et* 5.

X. *Katarba* seu potius *Khátá* vel *Kattáya* Tibeti provincia.

XI. *Navakhat*, id est, *Navacòtta*, nova arx, *nava* Samscrdamice *novus*, còtta *arx*, sita est in desertis *Karácattay* seu *Karakhátta* in via, quae per deserta in *Chinam* seu *Sinas* accessum praebet.

XII. *China* seu *Sina*, id est, Metropolis Sinensis, de cujus Christianis saeculo VII. ibi stabilitis multa disputat Renaudotius, *lib. cit. pag.* 228. *et seq.*

XIII. Indica *Calianapuri* seu *Angamalensis*, quam Metropolim Le Quien perperam docet esse *Calicut*, tom. II. coll. 1312.; qui pariter coll. 1301. et seq. regni *Tibet* Episcopos adnumerat, sed totam geographiam intricat et pervertit. Vide supra *pag.* XVI. *et seq.*, ac *pag.* 14. 15. 16.

His primis Metropolitanis urbibus deinde additae sunt aliae Chaldaeis addictae. *Amida* seu *Car-Amid*, quae saeculo IV. Patriarchae *Antiocheno* sub-

jacebat. *Merdinum* seu *Merdin* in Mesopotamia; cujus antistes sedet in *Cuzazar*. *Hierosolyma*, a qua Chaldaei Nestoriani titulum uni suo Episcopo dabant. Saeculo VI. imperante *Justiniano* hi Nestoriani Patriarchae Syro-chaldei titulum *Catholici* assumpserunt; et saeculo IX. ob varias belli vicissitudines relicta *Seleucia* sedem in urbem *Bagdat* transtulerunt, a qua iterum saepe exules et profugi per urbes *Edessam*, *Nisibim*, et *Mosulam* errabant, donec VIII. millibus pass. a *Mosula*, et 40. milliaribus a *Bagdat* in monasterio *Elcong* dicto firmiter consederunt, in quo hodiedum vivunt, dum per Turcas ibi consistere licet. Saeculo XII. Seleucensis seu Bagdadensis sedes Patriarchalis sexagintaquinque *Catholicos* numerabat, atque horum aliquos attulimus supra *pag. 26. in notis*. Ab his *Malabarensium* Nestorianorum antistitum series descendit, quam supra *pag.* XXII. *et* XXIII. produximus. Confer *Tablettes chronologiques*, *historiques*, *et écclesiastiques* tom. I. pag. 320., Renaudotium *pag. 264. et seq.*, Du Chardin. *itin. tom. 6. pag. 326.* Ab his ipsis primis Seleucensibus Patriarchis in Malabariam inter Christianos Thomaeos, qui cum illa sede communicabant, invecta fuit vetus *Chaldaica* liturgia, lingua *Syro-Chaldaica*, et antiqui characteres Chaldaici *Estranghelo* dicti. Li-

turgia a Nestorii erroribus in synodo *Odiamperitana* Malabarensi fuit expurgata, ac demum circa annum 1775. Romae typis edita *Tacsa Chaldáya* ܛܟܣܐ ܟܠܕܝܐ seu *Ordo Chaldaicus ad usum Ecclesiae Malabaricae*, Romae 1775. typis S. Cong. de Prop. Fide. Circumfertur pariter in ecclesiis Malabarensibus Chaldaicus liber inscriptus: ܢܘܗܪܐ *Nuhára lux*, seu *explicatio in* IV. *Evangelia* auctore *Jesu Dáda* Episcopo *Asoriensi* Maronita, *cod. ms.* Item brevis explicatio Genesis ad mentem *S. Dionysii*, qui videtur esse codex apocryphus; alius liber, qui inscribitur: *Joannis* Episcopi ex ord. S. Dominici grammatica contra *Bar-Ksha* Abraham Jacobitam; versio psalmorum David Syro-latina per *Gabrielem Syonitam*, Parisiis an no 1624., Tractatus de Sacramentis Syro-Chaldaicus *Petri* de *Comis* Episcopi *Malacensis* sine loco et anno; Sacra Scriptura manuscripta; et dictionarium Syro-chaldaicum etc. (1).

(1) Liturgiam Malabarico-Menezianam seu *Sacrum BB. Apostolorum* integrum affert Raulin *pag.* 293. *seq.* Synodum *Odiamperitanam*, libros varios *Nestorianos* in ea condemnatos idem adducit *pag.* 59. *seq.* 94. *seq.* De Christianis Syro-chaldaeis *S. Thomae* multa quidem sed fabulis refertissima tradit P. Vincentius a S. Catharina lib. II. pag. 131. *Dell' origine, continuatione, scisma, riti, costumi, e governo delli Cristiani di S. Tomaso.* Hugo Linschotanus navig. suae *cap.* 15. Mandeville *pag.* 12. Hayto Armenus, M. Paulus Venetus, Bzovius, Josephus Indus, Osorius, Maffejus et alii.

DIOECESIS CHALDAICA RECENS CATHOLICA

Sedente *Julio III.* Rom. Pontifice nonnulli ex Nestorianis a Patriarcha Seleucensi seu *Bagdadensi* in monasterio *Elcong* residente defecerunt, atque ab ejus communione se se separando Romanam fidem professi sunt; his Pontifex concessit Patriarcham eum ipsum, quem ex sua natione postulaverant. Is fuit (1).

SIMON SULACHA

Hunc alii *Julacha* appellant, eumque *Amidae* seu in *Diarbekir* vel *Jarbekir* patriarchalem sedem fixisse memoriae prodiderunt, in qua ditione praecipua ejus Catholici gregis pars versabatur. Huic successit

(1) Vide Le Quien *Orient.Christ.* tom.II. *coll.* 1251. 1252. *coll.* 1078. et seq. *coll.* 1304. 1077. Tablettes chronologiques *tom.* 1. *pag.* 308. 309. 310. Viaggi Orientali del P. Filippo della SS. Trinità lib. 2. cap. 6. *Descrittione della Mesopotamia*, et cap. 7. *della Caldea*, Du Chardin *itin. tom.* 6. *pag.* 326. 327. *tom.* 8. *pag.* 100. Jo. Alb. Fabricium, *Index geographicus Episcopatuum Orbis Christiani* pag. 1. 2. 3. et seq. Philippum de Carboneano *de sacris Christianorum ritibus* tom. II. theolog. P. *Antoine* pag. 37. Puerile est quod asserit auctor Gallus libri laudati *Tablettes chronologiques* etc. nempe Christianos *S. Thomae* in Malabaria non a *S. Thoma* Apostolo institutos fuisse: quia ii S. Thomam *Mar Thoma* appellant; *Mar* autem secundum ipsum est *Dominus Thomas*, non ille *Apostolus*, sed alter. Quasi vero vocabulum *Mar* Malabarenses pro *Domino* et *Sancto* non usurpent. *Mar Thomas* apud ipsos sonat *Dominus Thomas*, et *Sanctus Thomas*; ita et reliquos *Apostolos* compellant: *Mar Shemon*, S. Simon, *Mar Petros* Sanctus Petrus, *Mar Paulos* Sanctus Paulus etc.

ABD-JESHU

Monachus ord. *S. Pachomii*, vir eruditione et virtutibus insignis, qui Concilio *Tridentino* interfuit, et suum gregem Catholicum valde auxit. Ei succesit

AHATALLA

Monachus ejusdem Ordinis, qui cum gubernandi esset imperitus, ecclesiam suam a Nestorianis diripi saepe vidit. Hunc excepit

DENHA SIMON

Qui accrescentibus Nestorianorum vexationibus ex *Diarbekir* profugus in provinciam Persidis *Zeinalbech* secessit, ubi inter paucos Catholicos e vivis decessit. Interim Catholicam sedem in *Diarbekir* occupat

ELIAS

Patriarcha Catholicus, qui cum Romana Sede communicavit, ejusque fidem orthodoxam et gubernandi peritiam laudat *Mar Simon* Episcopus *Adanae*, qui anno 1700. in Indiam *Surattum* appulit, atque *Eliae* Chaldaico Patriarchae amicitia junctus erat. Hunc excepit

JOSEPH I. JOSEPH II. JOSEPH III.

De his consule Assemanum de Chald. Patriarchis, Ignatium a Jesu, et relationem Illustrissimi D. Ema-

nuelis *Baillet* Episcopi Latini *Babyloniae* Carm. Disc. *Benedicto XIV.* oblatam, aliasque relationes manuscriptas Missionariorum Latinorum *Babyloniae* seu *Bagdati*, qui hos Chaldaeos in fide Catholica instituunt et tuentur.

TIMOTHEUS

Patriarcha Catholicus natus anno 1726. die 14. Sept., consecratus anno 1760. sub nomine *Josephi IV.*; erat alumnus collegii S. Cong. de Prop. Fide, et is ipse nunc Romae versatur, vir zelo religionis insignis et mihi notissimus.

Addo his *Simonem* Episcopum *Adanae* virum Chaldaeum provinciae *Jegemen*, qui dum in *Diarbekir* cum Patriarcha *Elia* versabatur, ad instigationem Nestorianorum a Turcis comprehensus, in carcerem detrusus fuit. Ex hoc tamen opera R. P. *Joannis Baptistae d'Orleans* Miss. Capucini liberatus, *Surattum* in Indiam appulit, unde cum P. Francisco Maria de Tours Miss. Cap. anno 1701. *Calicutum* et *Verapolim* venit, ubi D. Angelum Franciscum a S. Theresia Carm. Disc. Episcopum *Methelopolitanum* die 22. Maii consecravit. Videsis plura de hoc Episcopo Chaldaeo in diario *ms.* D. Angeli Francisci, et unam epistolam D. *Joannis Ribeiro* Archiepiscopi Cranganorensis anno 1701. die 25. Maii

Verapolim scriptam, quae incipit: *Antes que o Dom Simao Caldeo intitulado Arcebispo de Adan* etc., de P. Francisco Maria vide nostrum *Examen hist. criticum cod. bibl. S. Cong. de Prop. Fide* pag. 57. seq. et supra pag. 193. 194. Hunc *Simonem*, quem Malabarenses മാർ ശെമൊൻ *Mar Shemon* appellant, e Malabaria pulsum, atque *Pondicerii* a Carmelitis et Jesuitis occisum fuisse, nebulones Malabarici in conventiculo *Angamalensi* anno 1787. blaterabant: quod quam iniquum sit, ex catalogo mortuorum paroeciae S. M. Dominae Angelorum *Pondiceri* patet. Is vero ad annum 1720. diem 16. Aug. habet: *Simon Episcopus Adanae cum mane ad hauriendam aquam pro lavanda facie ad puteum accessisset, infeliciter in eum cadens aquis praefocatus mortuus est: quia ad sui famulitium uno tantum puero* VI. *vel* VII. *annorum aetatis utebatur, qui tunc dormiebat, atque etiamsi non dormivisset, impos erat eum adjuvando. Hoc infortunium accidit hora circiter* V. *matutina. Requiescat in pace. Sepultus jacet in nostro choro in medio. Fr. Spiritus de Tours Capucinus Miss. Apost.* (Parochus). Vide de hoc Chaldaeo Catholico Praesule P. Norberti Capucini *Memorie storiche*, tom. I. pag. 350. Hanc distinctam Chaldaicae dioecesis notitiam Malabaricis Missionariis exhibere oportuit, ut schismaticos Jacobitas et Nestorianos revincere

et confutare; atque Chaldaeis Catholicis Christianis S.Thomae, qui saepenumero minitantur, se *Bagdadensi* Patriarchae adhaesuros, iter certum, tutum, variationés, sedes, dioeceses, fidemque digito commonstrare, eos in officio continere, atque ad salutis aeternae viam dirigere valeant.

Inscriptio, quam ad *pag.*143. attulimus, a clarissimo viro Georgio Zoëga ex ipsis aeneis valvis exscripta, haec est

Ⓐ ΘⲰΜΑⲤ ⲖŎΧΙ Ϋ́ΠΟ ΗΝΔΙΑ ⲦⲈⲖΗϓ̆ⲦⲈ

***S.Thomas** lancea ab **Indis** confossus consummatur.*

MONUMENTA HISTORICA

Monum. *ad pag.* 80.

EPISTOLA

„ *Episcopo Verapolitano videnda*

„ Ab oppido Collam inclusive usque Mannacudi versus Austrum „ in ora maris degentibus nostris vassallis ad legem praedicandam „ constitutos Patres, sine causa nostros vassallos opprimendo, con- „ tra consuetudinem antiquam multam pecuniam a vsssallis nostris „ accipere, vassallos nostros huc venientes loqui audivimus. In „ ora msris degentibus Patribus procedendi regula utique olim „ jam praescripta fuit: hanc illi crudeliter excedendo nostros subdi- „ tos opprimere utique non convenit. Quare Episcopus ipse veniat „ in Patnam oppidum, et examinando quidnam Patres male fece- „ rint, mutandis Patribus mutatis, secundum consuetudinem anti- „ quam per suos Patres Legem administret. Ea omnia quae etiamnum „ illi Patres faciunt, ipsi nostri vassalli Episcopo dicent.

„ Ita ad mandatum Regium.

„ Supremus scriba Mattanden Mádeven scripsit.

„ *Sbripatmanábben*

„ Sigoatura Regis *Tranvacor* manu propria.

„ Concordat cum originali etc.

„ F. Carolus a S. Conrado Episcopus Calamensis
„ et Vic. Apostolicus m. pp.

Patres, de quibus heic queritur rex *Ráma Varmer*, erant Lusitani orae Travancoridis parochi, quibus sublatis rex Patres Verapolitanos S. Cong. Missionarios substituere voluit.

„ TRANSLADO DA CARTA DO REY TRAVANCOR

„ *Para ver o Bispo de Verapole*

„ Ouvimos ler a carta, que a Nos mandou, e percebimos o que „ escreveu. Tendo chegado aqui o P. Paulino, ovuimos as coussas, que „ o Bispo mandou fallar. Tendo Nos fallado: que sendo tirado o „ Governador e os Vigarios das Igrejas: que o P. Paulino elle mes- „ mo as tome entregues, o dito P. Paulino disse: que por serem „ estas Igrejas de baixo do poder do Bispo de Cochim, e como o „ dito està em Goa, sem lhe escrever e chegar a sua reposta, que „ o P. Paulino nao se podia encaregar dellas; e como tambem o „ P. Governador, e os Vigarios prometerao de sujeitarse por tudo „ aquillo, que lhes for da Nos ordenado por causa das injustas

„ exaccoens que fizerao aos nossos vassallos , e tendo elles accom-
„ prido , o que lhes foy ordenado : por isso mandamos , que outra
„ vez o P. Governador mesmo possa governar as suas Igrejas con-
„ forme os velhos costumes ; e por isso remandamos outra vez o
„ P. Paulino por seu lugar.

„ Conforme a ordem Real foy escritta esta de mim supremo Escri-
„ vao Martanden Madeven.

„ Assinhado do Rey *Sbripatmanábben* maô propria.

„ Concorda com o original etc.

„ F. Carlos de S. Conrado Bispo Calam.
„ Vig. e Commisa. Apost. etc.

Ex his jam patet : Vicarios Apostolicos in messem alienam falcem non adeo praefidenter mittere , atque iniquas esse Episcopi Coccinensis accusationes , quibus clamitat , ab iis jurisdictionem suam impeti.

Mon. *ad pag.* 85.

„ Illustriss. e Reverendiss. Senhor.

„ O Rey de Cochim condemnou os Christiaos S. Thomé
„ d'Angicaimal em huma mulcta de 1000. Rup. , por terem elles
„ contra a sua prohibicaô chegado perante o Bispo Portuguez (1),
„ e para constringilos ao pagamento dessa condemnaaô , poz impe-
„ dimento sobre os Bena da Igreja , e sobre os Palmares e Chaona,
„ que os Topazes e Munducares correm , em parte. A cerca disso
„ os dous ultimos nomeados se queixaraô comigo e tambem ma-
„ nifestaraô , que os Bena da quella Igreja naô pertencem aos Chri-
„ stiaos S. Thomé , mas a mayor parte sim à elles.

„ Eu tenho communicado ao Rey isso , porem achey em re-
„ posta , que no Passo podia constar , que a Igreja , d'Angicaimal e os
„ Bens della pertencem aos Christiaos S. Thomé. Os Topazes e Mun-
„ ducares dizem ao contrario , que elles saô Donos , e que os Constos
„ disso jazem no Bispado de Verapole.

„ Eu tenho finalmente trabalhado com o Rey , que por ora
„ se levantou o impedimento , e que a cauza serà examinada no
„ Passo na forma competente.

„ Por tanto pesso a V. S. d'enviar na segunda feira vindoura
„ o Reverendo P. Paulino comigo , juntos os constos ; e entaô os
„ examinarey primeiramente com elle , e depois remeterey ao Passo :

(1) Revolutio Christianitatis S. Thomae agente cumprimis Archiepiscopo Goano et Coccinensi utroque Lusitano peracta fuit, ut ex litteris eorum facile ostendi potest. Sperabant ipsi hoc modo totam Christianitatem suae jurisdictioni subjecturos , atque a Vicario Apostolico avulsuros. Instrumentum eorum fuit Thomas Pareamákel , ab Archiepiscopo Goano Christianorum S. Thomae Vicarius generalis constitutus.

„ e pesso tamben que V. S. instrûe o d. R. P. Paulino para expór
„ os ditos constos perante o Rey ; para o que eu entaô nomearey
„ dous ou tres Parochianos dos mais entendidos , e se hé precizo ,
„ ajuntarey tambem Commissarios da Companhia etc.

„ Tenho a honra de ser com toda estima aô

„ Cochim 25. de Ottobro 1787.

„ De V.S. humilde Servidor
„ Johann Gerard Van Angelbeck

Monum. *ad pag.* 88.

„ Nos Alexander Dei gratia, et S. Sedis auctoritate Malabariae
„ Episcopus Gubernator consentimus et facultatem impertimur P. Mat-
„ thaeo Carmelitae Discalceato Commissario , ut in nostra dioecesi
„ in loco Badudela (Bardela quae Cettiâti) dicto Ecclesiam Catho-
„ licam et Crucem erigere et construere possit: In Nomine Patris
„ et Filii et Spiritus S. Amen . Praecipimus et volumus , ut in
„ hanc ecclesiam a Nobis approbatam et hoc nostrò authentico in-
„ strumento communitam excepto Pontifice Romano , P. Generali
„ Ordinis Carmelitarum , et Superiore conventus Goani (qui tunc
„ exsistebat , nec amplius exsistit) , nemo alter , neque Episcopi
„ hujus dioecesis aliquod dominium , jurisdictionem , manumque ha-
„ beant . In hujus rei testimonium nostrae manus signum et hu-
„ jus nostrae dioecesis sigillum apposuimus , ac P. Matthaeo Com-
„ missario dedimus hoc anno 1674. die 3. Martii ex ecclesia S. Ma-
„ riae in Codeveciur . Totius Malabariae Metropolita Alexander .
„ Alexander Metropolita da koll Hendo .

„ L. S.

„ Cashisha Guibarguisa da Paramba .
„ Cashisha Deskana Mattay deskana
„ Márta Mariam .

Mon. *ad pag.* 173.

„ Nos subditi Christiani magni regis Travancor a *Továla* versus
„ Boream usque *Tiruvandaram* , a mari (ab occasu) versus ortum ,
„ a montibus (Ghattes) ad occasum et austrum , a *Tiruvandaram*
„ arce versus ortum et austrum V. Majestati tributum pendentes , ad
„ thronum conversi , et ad pedes prostrati hanc offerimus epistolam af-
„ flictionis (Sangadavariola) .

„ Quamvis nos omnes angarias et servilia opera subeamus , ac
„ censum (padivupanam et curipanam) communem , atque etiam
„ pro nostris palmetis quartam partem accurate persolvamus ; quam-
„ vis pariter Nelli et jacara (oryzam crudam et palmarum dulcem
„ succum concretum) ad flumina , stagna , vias , aliaque publica
„ aedificia laborantibus ex proprio nos administremus , ac nos ipsi

„ laboremus; attamen quia Christiani sumus, Deum nostrum adoramus, atque nominibus nostrorum Sanctorum, et non getilium idolorum insignimur, et vocamur, compellunt nos ad abjiciendam legem nostram Christianam, ad permutanda nomina nostra cum nominibus idolorum. Nos pauperes et vilioris tribus (Caringiádi) sumus, et ideo nos ligant, et virgis ac bacillis ex Valampuli (ex arbore Tamarhindo), atque ex arbore Aalu abscisis a planta pedis usque ad collum nos verberant, ita ut plurimus sanguis exeat. Postea nos in carcerem conjiciunt et in truncum pedes manusque includendo, et compedes quoque injiciunt. Atque hoc etiam nostris uxoribus et filiis faciunt, neque dant libertatem ad corporis necessitates peragendas e carcere exeundi: ideo plusquam decem millia ex nostris ad montes profugerunt, et domus atque palmeta nostra destructa et prostrata jacent. Illi qui comprehensi fuerunt, conducti fuerunt in Tiruvancoda (Travancor oppidum), in Ciucala, in Vépenur, in Itamali, in Agatishuaram, in Tírovadira Mogatil, et ibi vimineis funiculis in arbores suspensi verberati et secti sunt. Sanguisugas cortici nucis coco includendo easdem umbilicis nostris alligarunt, piper contusum oculis et naribus insufflarunt, nos et filios nostros verberibus et vulneribus onustos super arenam calidissimam in sole volutarunt, et haec tormenta durant a mense Septembri (Aypashi) usque ad Aprilem hujus anni 1783. . . . Hodiedum plusquam centum personae in carcere et compedibus detinemur, maximam famem et molestias patiendo: et hoc quia Deum nostrum adoramus et quia Majestati Vestrae servimus. Quare rogamus prostrati, ut per Administros excitatae persecutioni finem imponat, et nos ex regno suo fugere non faciat, sed misereatur nostri, atque clementer indulgeat, ut in hoc suo regno incolumes, et quieti persistamus sub throno et mandatis Majestatis Vestrae.

Monum. *ad pag.* 222.

„ CLEMENS PP. XIV.

„ Illustris ac Potentissime Rex Salutem, et Lumen Divinae gratiae. Cum de Regii Tui animi magnitudine ceterisque praeclaris Tuis laudibus multa saepe in suis litteris perscribant Nostri Missionarii Ordinis Carmelitani, qui in Tui Regni partibus degunt, Tuaque insignia praesertim in se collata beneficia assidue praedicent; magna idcirco est Tuo Nomini, Tuisque virtutibus in his Europae regionibus conciliata celebritas, Tibique plurimi plausus multorum sermone merito tribuuntur. Sed quoniam hae singulares Tuae dotes, Tuaque summa erga Missionarios humanitas nos potissimum attingunt, qui Religioni Christianae praesidemus, et quorum nomine ac mandato iidem Missionarii isthic versantur, Nos propterea Tuas laudes, Tuamque Clementiam summopere efferimus, et Tua in illos beneficia ac merita tanquam Nobis ipsis praestita arbitramur, et profitemur. Quamobrem has Nostras Litte-

„ ras ad Te dare volumus, ut hos ipsos nostros plenissimos Tuae „ existimationis ac laudis sensus Tibi aperiremus, atque una gratissimum Tibi nostrum animum testaremur, et saltem reddendae „ Tibi gratiae desiderium probaremus. Ipsi nostri Missionarii Tibi „ pluribus significabunt hanc propensissimam Nostram, Tuaeque felicitatis cupidissimam voluntatem. Interim a Te magnopere petimus, „ ut has Tuas laudes atque haec Tua in Nos merita cumulatiora in „ dies facias, et Missionarios Nostros, tanquam pignora sincerae „ ac mutuae inter Nos amicitiae, usitata benevolentia ac patrocinio „ Tuo prosequare. Hoc Tibi de illis recipere at polliceri certe possumus, neminem Tibi fideliorem atque addictiorem quam illi sint, „ et ad obsequia Tua paratiorem fore. Hoc enim et ab ipsa Lege, „ quam profitentur, et a Nobis arctissime illis mandatur, atque injungitur. Ac proinde hac etiam causa Legis Christianae incolumitatem et ejusdem praecones Missionarios Nostros Tibi commendatissimos futuros confidimus. Demum Deum Omnipotentem obsecramus, ut prosperam ac diuturnam vitam et omnium bonorum incrementa Tibi Illustris et Potentissime Rex effuse largiatur. Imprimis vero suae gratiae subsidio concedat, ut per agnitionem veritatis ad veram et perpetuam felicitatem pervenias. Datum Romae „ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die II. Julii „ MDCCLXXIV. Pontificatus nostri anno sexto.

„ Benedictus Stay.

Monum. *ad pag.* 223.

„ P I U S PP. VI.

„ Illustris, ac Potentissime Rex Salutem, et lumen Divinae „ Gratiae.

„ Exoptatissimae Nobis erant Litterae Majestatis Tuae, quae nuperrime redditae sunt, easque tanta animi nostri jucunditate, tantoque cum honore excepimus, quantus tam potentis Regis dignitati convenit, quantusque solet, cum Litterae maximorum Europae Regum adveniunt, a Nobis exhiberi. Ex hac officii erga „ Te nostri parte facile cognoscere potes, Illustris, et Potentissime Rex, quo in pretio habeamus ea, quae a Te deferuntur, „ quasque erga Te propterea et gratias, et laudationes cumulare „ apud omnes contendamus. Atque hoc tanto impensius ac studiosius nunc facimus, quanto magis ea, quae in iis Litteris continentur, magnitudinem animi Tui, ac in Nos humanitatem praeseferunt. Quid enim Nobis umquam gratius, atque acceptius accidere a Te potest, quid luculentiore gaudio cor Nostrum perfundere, quam cum ex Te ipso agnoscimus qua benignitate, clementia, planeque Regio patrocinio prosequaris, ac foveas istos

„ Missionarios Nostros et Christianos omnes, quos paterno amore
„ complectimur, ac inter Dilectos Filios numeramus. Tuae hujus-
„ modi praeclarae significationes majorem in modum augent iu No-
„ bis, quam de Te gerimus fiduciam, certissime fore, ut maxi-
„ mum adjuncturus sis pondus novae commendationi nostrae, qua
„ vehementer apud Te instamus, ut peculiariter tueri Tua auctori-
„ tate pergas Christianos tam Latinos, quam Sorianos, qui in Tua
„ ditione commorantur, praesertimque Vicarium, ac Patres Vera
„ poly degentes, ut hi nimirum Regis freti praesidio libere valeant
„ illis semper praesto esse in suae Religionis exercitationibus: at-
„ que id ipsum ut majori animi tui alacritate praestare velis,
„ Tibi omnino asseveramus, tam in ejusdem religion s praeseriptis,
„ quam in mandatis esse nostris, ut quam Regi debent, Tibi iti-
„ dem suo Patrono quantam maximam possunt fidem, obsequium,
„ obedientiam constanter ex animo deferant, planeque satagant, ne
„ umquam Te favoris eisdem exhibiti poenitere possit. Illud etiam
„ Tibi confirmamus, quidquid iis benigne feceris, in Nos ipsos a
„ Te collatum esse reputaturos. Ut porro comprobemus Tibi, quam
„ gratum Nobis advenit transmissum a Te munus Imaginis Tuae, quae
„ Tuam scilicet humanitatem, majestatemque ipsis oculis conspicien-
„ dam Nobis exhibet, invicem Nos Tibi Nostram effigiem mitten-
„ dam duximus, quae apud Te esse possit perenne monumentum
„ amoris, existimationis, studiique in Te Nostri, ac desiderii itidem,
„ ut prosperi, laetissimique semper per diuturnum tuae Regiae vi-
„ tae cursum Tibi, tuoque Regno suceessus contingant. Deum O. M.
„ propterea oramus, ut compotem Te suae gratiae faciat, perquam
„ veris potiri bonis, ac eam quae apud ipsum est felicitatem et glo-
„ riam consequi, Rex Potentissime, valeas. Datum Romae apud
„ S. Petrum sub annulo Piscatoris die 24. Februarii 1790. Pontifi-
„ catus Nostri Anno Decimo Sexto.

CATALOGUS

Ecclesiarum dioecesis Syro-chaldaicae Malabarensis Christianorum S. Thomae.

Monum. *ad pag.* 60. 114. 235.

ECCLESIAE CATHOLICAE

Angamáli I., S. Georgii M. ✠
II. S. Hormisdae.
III. Agamparambil, B.M.V. ✠
Alangatta seu Mangatta, B.V.M. ✠
ibidem oratorium.
ibidem oratorium *Carmelit. Discalc.*
Ambalacáta, S. Thomae Apost. ✠
ibidem oratorium.
Callurcáta, B. V. M.
Corolongátta, S. Mariae Maj.
ibidem oratorium.
Hae quinque ecclesiae ab octo aut decem sacerdotibus administrantur, ac animarum multitudine, et ipsa aedificii mole alias superant.
Pallipuram, S. Mariae.
Muttam, S. Mariae.
Odiamper, SS. Gervasii et Protasii.
Tekenparúr, S. Joannis Bapt.
Nhéramel, S. Mariae.
Caringacéra, S. Mariae.
Pallicare, S. Mariae.
Candanate, S. Mariae.
Curupenpadi, SS. Petri et Pauli.
Perumettam, S. Mariae.
Còdamangalam, S. Mariae.
Maleatur, S. Thomae Apost. ✠
ibidem oratorium in monte.
Puttenpalli S. Theresiae.
Canhur, S. Mariae. ✠
Ciovare, S. Mariae. ✠
Cenòtta, S. Crucis. ✠
Verapoli, S. Joseph.
Parur, SS. Gervasii et Protasii. ✠
Nhárica, S. Mariae.
Eranáculata seu Angicaimal, S. M.
Palurti, S. Mariae.
Puttencera, S. Mariae. ✠
Corretti, S. Mariae. ✠
Ciálacudi, S. Mariae. ✠
Beleanate, S. Mariae. ✠
Pálur, S. Macharii. ✠
Pashur, S. Antonii. ✠
Enamaca, S. Mariae. ✠
Parapurangári, S. Mariae. ✠
Còttapadi, S. Lazari. ✠
Mattatil, S. Mariae. ✠
Calparamba, S. Mariae. ✠
Mushicollam, S. Mariae. ✠
Aaragoshe, S. Mariae.
Elùr, S. Stephani.
Cadaturutti, S. Thomae.
ibidem alia S. Mariae.
ibidem orat. S. Dominici.
Ciungatta, S. Michaelis.
Nediale, il silvis, S. Mariae.
Máilacomba, S. Thomae.
Parròta, trium regum, pauci Cathol.
Rámaratta, S. Augustini.
Elangnil, *SS.* Petri et Pauli.
Badagare, S. Joannis Bapt.
Cembi, S. Mariae.
Muttiera, S. Spiritus.
ibidem orat. S. Sebastiani.
Adirampushe, S. Mariae.
Codamalur, SS. Gervasii et Protasii.
Codalur, parva, animae 300.
Manhapra, S. Crucis. ✠
Cottamattil, parva S. Mariae. ✠
Coittòtta, S. Mariae ✠.
Edapuli seu Rapolim, S. Georgii.
ibidem SS. Petri et Pauli.
Badeate parva, S. Salvatoris.

Pullingune, S. Mariae.
ibidem orat. S. Sebastiani.
Modelacodam, S. Georgii, in silvis ad montes *Ghattes* Elephantibus infesta.
Nágapushe, parva in silvis, cadens.
Calnáda, S. Mariae.
Paincollata. S. Crucis.
Iratushe, S. Mariae, proxima regno *Madure* in montibus.
Cangnarapalli, S. Mariae, in montibus communicat cum incolis regni *Madure*.
Cianganacéri, S. Mariae.
ibid. oratorium.
Pudupulla, parva et cadens.
Punatra, in montibus.
Cèrpunghel, S. Crucis.
Paláya, S. Thomae, Seminarium Syro-chaldaicum.
Punháda, S. Mariae, ultima ad ortum in montibus.
Vaypur, S. Mariae in montibus.
Veciur seu Codaveciur, S. Mariae.
Aanacallunghel, S. Mariae.
Aalapushe, S. Mariae.
Tattampalli, S. Michaelis, parva.
Porocàda, S. Thomae.
Calicut }
Mahè } Latina. ✠

ECCLESIAE SCHISMATICAE

Cadamattam, S. Georgii.
Tekenparur, mixta ex Catholicis et Schismaticis.
Caringacera, mixta.
Nhåramel, mixta.
Molanturuti, S. Mariae Schis.
Mamalaceri, S. Michaelis Schis.
Pallicare, mixta.
Collencera, SS. Petri et Pauli Schis.
Curupenpadi, S. Mariae Schis. ✠
Parur, S. Thomae Schis.
Angamáli, S. Mariae Schis. ✠
Agamparambil, SS. Gervasii et Protasii Schis. ✠
Callupare, S. Mariae Schis.
Manargáda, S. Mariae Schis.
Cenganùr, S. Mariae Schis.
Neranatta sedes Episcopi *Mar-Thomae*, locuples et magna.
Callucera, S. Mariae.
Coshanceri, S. Mariae.
Cáyamcollam, SS. Gervasii et Prot.
Puttencáva, S. Mariae.
Bemanil, S. Mariae.
Cartyapalli, S. Mariae.
Tekencollangare.
Tumbonùr, S. Mariae.
Omelur. S. Mariae.
Tevelacare, S. Mariae.
Catare, S. Mariae.
Cadambara, S. Mariae.
Måvalicare.
Condùr, S. Mariae.
Tiruvancòda seu Travancor, S. Thomae.
Candenáta, S. Mariae.
Còdamangalam, S. Mariae.
Collam, S. Thomae destructa.
Porròtta mixta.

Ecclesiae hoc signo ✠ notatae ab exercitu *Nababi Tipu Sultan* admoto igne fuerunt destructae. Catholicas plerasque ego anno 1778. 1779. et 1780. lustravi, atque a pluribus abusibus purgavi. Catholicae et Schismaticae omnes nunc regi *Travancor*, et regi *Coccinensi* subsunt. Quare distributio earum, quam juxta antiquam regnorum divisionem affert Anquetil du Perron in *Zend-Avesta*, tom. 1. p. clxxxiii., et Raulin *pag.* 428. nunc jam non valet.

ECCLESIAE LATINAE

Quae ex neophytis Conflatae, primo a *PP. Franciscanis*, ac deinde a *PP. Jesuitis* et *Carmelitis Discalceatis* erectae fuerunt.

Cranganor latina, S. Francisci. ✠
ibidem, orat. S. Thomae. ✠
Palliport, S. Mariae.
Verapoly S. Joseph, simul est Chaldaica.
Cettiate, S. Maria de Monte Carm.
Vaypin, latina.
Augicaimal, Latina et Chaldaica.
Bendurti, S. Mariae.
Matincèra, S. Maria de Vita.
Castella.
S. Luis, seu S. Ludovici.
Saude, S. Mariae a Salute.
Arunkel seu S. Andreae.
Tanghi.
Tumbòli.
Càttùr.
Aalapushe oratorium.
Manacodam.
Porcàda Latina et Chaldaica.
Hae omnes Vicario Apost. subsunt.

ECCLESIAE LATINAE
Sub Episcopo Coccinensi.

Cáyamcollam. Coitòtta. Aybica. Collam in Mudacra. Alia *S. Thomae* Archiepiscopo Angamalensi subest.
Cattere. Cànharacòtta. Mangàda. Ecclesia trium Regum.
Tuyam. Ereboram. Maynàda. Mampulli. Anjenga. Cerni. Mungotto. Navacollam. Areturuti. Tayampalli. Puducurici. Puttentopo. S. Andrè. Vèly. Valiatorra. Pulluvaley. Valavaley. Adityentorra. Patnam. S. Barbara. Enèam. Muralhas. Curumpana. Coleci. Nèyàttingare. Travancor latina. Patmanáburam. Odeagari. Cariapatnam. Manacudi. Cottàte. Alandel. Comorin. Vadakencollam. Pàleamcotta. Tutucurri. Manapar. Tirunavèly.
Hae omnes in ora *Travancor* sitae sunt, atque ex neophytis latinis seu novis Christianis ab anno 1545. ad haec tempora conversis compositae.
Plures, quarum distinctam notitiam non habeo, omisi.

ERRORES IN TYPUM ILLAPSI

	Error	*Correctio*
Pag. 6. not. 1.	mondibus	montibus
pag. 12. lin. 25.	Zeud	Zend
pag. 24. lin. 10.	a Sacerdotalis	Sacerdotalis
pag. 44. in not.	lateratibus	lateralibus
pag. 47. in not.	Goanis extrudidit	Goanis extradidit
pag. 51. lin. 10.	anno 1789.	Anno 1689.
ibidem lin. 3.	Innocentii XI.	Innocentii XII.
pag. 54. lin. 21.	Alcantare	Alcantara
pag. 61. in not.	Sumetram	Sumatram
pag. 70. lin. 2.	Genezes	Menezes
pag. 80. lin. 11.	Aranganorensis	Cranganorensis
pag. 88. lin. 9.	ܕ littera expungi debet	
pag. 103. lin. 17.	luxus	lusus
pag. 109. lin. 8.	niconsecrato	inconsecrato
pag. 160. in not.	des Indes	es Indes
pag. 178. lin. 8.	dystia	dynastia
pag. 241. lin. 10.	Sangáar	Sangára

INDEX
RERUM ET VERBORUM

FACULTAS ORDINIS

FR. ADRIANUS A S. THERESIA

Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliae
Ordinis B. V. M. de Monte Carmelo

PRAEPOSITUS GENERALIS ET EJUSDEM S. MONTIS PRIOR

Quantum per Nos licet, opus inscriptum: *India Orientalis Christiana*, a R. P. Paulino a S. Bartholomaeo Nostrae Congregationis Sacerdote concinnatum, typis edi vulgarique potest: in cujus fidem has dedimus nostra manu subscriptas Romae ex coenobio nostro SS. Theresiae et Joannis a Cruce hac die 26. Januarii 1794.

F. Adrianus a S. Theresia Praepositus Generalis &c.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo P. Magistro Sac. Pal. Apost.

Franc. Xav. Passari Archiep. Lariss. Vicesg.

ADPROBATIO

Rev. P. Paulini a S. Bartholomaeo librum, qui inscribitur: *India Orientalis Christiana &c.*, Reverendissimi Patris Sacri Palatii Magistri mandatis satisfacturi, diligenter legimus. In quo quidem argumenti genere illustrando, cl. Auctor ita versatur, ut quae Religionis Christianae initia, qui progressus, quae vicissitudines in illa ipsa Asiatica Indiarum plaga, quam peculiari Tabula Geographica ornandam atque describendam aggreditur, fuerint; qui viri quoque et sanctitatis et doctrinae existimatione; qui denique Reges, ac principes, nostris etiam adversi, aut propensiore in Christianos voluntate in ea exstiterint, non mediocri industria atque eruditione ab se explicata nobis videantur.

Opus iccirco, quippe cum Romanae Ecclesiae doctrina nullo modo pugnans, dignum existimamus, quod in manus emittatur hominum.

Romae in Aedibus Minervae, octavo Calendas Februar. an. 1794.

Fr. Gabriel Fabricy, Ord. Praed. S. Theol. D.
Collegii Casanatensis Theologus.

Fr. Philippus Angelicus Becchetti Ord. Praed.
S. Theol. M. & ejusd. Collegii Theol.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Vincentius Pani Ord. Praedic. Sac. Palatii Apost. Magist.

CATALOGUS

DD. Sociorum qui coemendo huic Operi subscripserunt

ROMAE	*Exemplar*
Illm̃us D. Hieronymus a Porta SS. D.N. Praelat. Domesticus, Thesauro P. Praefectus.	1
Illm̃us D. Ant. Lamb. Rusconius SS. D. N. Prael. Domest.	1
Illm̃us D. Fab. Luccatellus SS. D. N. Praelat. Domesticus.	1
Rm̃us P. M. Stephanus A. Bellisinius Prior Generalis Ord. Eremit. S. Augustini.	1
R. D. Abbas Nicolettus Basil.	1
R. P. Prior Ord. S. Dominici ad S. Clementem cum socio.	2
R. P. Eustachius M. a S. Raph. Carm. Disc. Ex-Provincialis.	1
R. P. Dominicus M. Federici Ord. Praed.	1
AUGUSTAE VINDELICORUM.	
R. P. Henricus a Visit. B.M.V. Carm. Disc. Prior.	1
FIRMII	
D. Elisabetha Egidj.	1
HAFNIAE	
D. Fridericus Munter Sac. Theol. Doctor et Prof.	1

D. Andreas Birch Sac. Theolog. Doctor et Prof. 1
D. N. Engelbrecht. 1

INTERAMNAE.

D. Comes Alex. Spada. 1
D. Comes Genuini. 1
D. Comes Leoncini. 1
D. Sebast. Graziani. 1
D. Stephanus Fabrizi. 1
R. D. Vinc. Labella. 1
R. D. Philippus Feliciani. 1

JAURINI IN UNGARIA

R. P. Romanus a S. Venantio Carm. Disc. 1

LONDINI

D. Thomas Ford Hill. 1
D. Joannes Walker. 1

MACERATAE

Illmus D. Ang. ex Princip. de Alteris Praef. Macer. 1

MONACHII IN BAVARIA

D. Comes Ant. Antonellus Ser. Elect. milit. Praet. Mag. 1

NARNIAE

Illmus D. Basilius Ciccalottus Praefectus Narn. 1
Illmus D. Dionysius Connestabili SS. D. N. Prael. Domest. 2
D. Agesilaus Connestabili Eques S. Stephani. 1
D. Jacob. Montinius. 1

D. Comes Petrus Mancinellus 1
D. Lud. Petrus Donatus. 1
R. D. Salvator Diofebus Can. 1
R. D. Vincentius Brunellus Can. 1
R. D. Julian. Scosta Can. 1
R. D. Petrus Proli. 1
R. P. Ferd. Brussonius Ord. Convent. S.Francisci. 1

PERUSIAE

Illmus ac Rmus D. Alex. M. Odoardi Episcopus Perusinus.
Illmus D. Marchio Thomas ab Arezzo Praef. Perus. 1
Illmus D. Jo. F. Caesarei Sac. Rom. Rotae Aud. SS. D. N. Prael. Dom. 2
D. Comes Lud. Oddi. 1
D. Comes Henricus Oddi. 1
D. Comes Alex. Oddi Balleonius. 1
D. Comes Joseph Balleonius. 1
D. Comes Jo. Paulus Valenti. 1
D. Comes Horatius Bonainus. 1
D. Comes Reginaldus Ansidei. 1
D. Marchio A. M. a Sorbello. 1
D. Marchio Nic. Antinori. 1
D. Marchio Jacob. Antinori. 1
D. Comitissa Anna Gratiana Balleonia. 1
D. Ranerius Raneri Eques Hierosolymitanus. 1
D. Aloysius Sigis. Ansidei. 1

D. Horatius Rossi. 1
D. Jo. Bapt. Alfanius. 1
D. Jo. Bapt. Biancalana Aud. Rotae Perus. 1
D. Jacob. Danzetta. 1
R. D. Ab. Giusti Monach. Cassin. 1
D. Josephus Tori. 1

SPOLETI

Illmus ac Rmus D. Franc. M. Luccatellus Episcopus Spoletinus. 1
Illmus D. Antonius Frosini Praefectus Spoletinus. 1
Illmus D. Joseph Justinianus Praefectus Nurciae. 2
Illmus D. Hieron. Napulionius SS.D.N. Prael. Dom. 1
D. Laurent. a Domo Alberinus Eques S. Stephani. 1
D. Comes Joseph ab Onuphriis. 1
D. Alex. Panciani. 1
R. D. Laurent. Guidius Aud. Episc. 1

TUDERTI

Illmus ac Rmus D. Joannes Lotrechius Episc. Tud. 1
Illmus D. Bartholomaeus Lopez Praefectus Tudert. 1
D. Comes Philippus Laurentius SS.D.N. a Cubiculo. 1

VELITRIS

Illmus D. Richardus Borgia SS.D.N. Praelatus Dom. 1
D. Comes Paulus Toruzzius Eques S. Stephani Acad. Volscorum Veliternae a Secretis. 1
F. Nicolaus Buzius Eques professus Hierosolymit. 1

D. Camillus Borgia Eques Hierosol. Sereniss. Elect. Bavar. a Cubiculo. 1
D. Carolus Buzius Regi Polon. a Cubiculo. 1
D. Trincius Leopardus Gregna Eques Hieros. 1
D. Joseph Andriani Eques S. Stephani. 1
R. D. Gagliardi Can. Eques SS. Mauritii et Lazari. 1
D. Joseph M. Calderonius SS. D. N. a Cubiculo. 1
D. Philippus Borgia Eques Commendator Hierosol. 1
D. Comes Stephanus Coluzz ius. 1
D. Octavius Columnesi Eques SS. Mauritii et Lazari. 1
D. Comes Joannes Carolus Antonellus 1
D. Caesar Borgia Eques Hierosolym. 1

VENETIIS

R. P. Joannes Antonius a S. Maria Carm. Disc. Bibliot. 1

VITERBII

Illm̃us D. Comes Ferdinand. Fantuzzius Praef. Viterb. 2
D. Caesar Calabresius 1
D. Joseph Zellius Pazzaglia. 1
D. Paulus Especo Eques S. Stephani. 1
D. Comes Vincent. Telonius. 1

D. Dom. Veltrius.

D. Joseph Savinius Urbi a Secretis.

D. Joan. Antonius Savinius.

D. Onuphrius Torelinius.

R. D. Jo. Franciscus Speranza Poenit. Cathed.

R. D. Jo. Franciscus Marianus Can.

R. D. Aug. Molajonus.





